6
4–e
53 M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
3 F
24

6.4.e.53

CHRISTOPHORI CELLARII ORTHOGRAPHIA LATINA

E X

VETVSTIS MONVMENTIS

Hoc eſt Nummis, Marmoribus, Tabulis, Membranis veterumque Grammaticorum placitis;

NEC NON

Recentium ingeniorum curis excerpta, digeſta, nouiſque obſeruationibus illuſtrata.

EDITIO II. PATAVINA.

PATAVII. CIϽIϽCCXXXIX.

APUD JOSEPHUM COMINUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

LECTORI
BENEVOLO S.

EN ORTHOGRAPHIA *noua, poſt Aldi Manutii nepotis, Iuſti Lipſii, & Claudii Dauſquii, aliorumque labores egregios ex antiquis monumentis collecta denuo, diſcuſſa & examinata, atque iis præcipue ſcribendi modis, in quibus diſſident hodieque eruditi viri, vt clarius intelligantur, accommodata. Duas in partes diſtributa eſt: priore de litterarum figuris ac mutationibus, aliiſque, quæ accidunt illis, diſputatur: altera ſingulæ voces, in quarum ſcriptura diſſentitur, ordinatim recenſentur & explicantur, & quo hi, illi vtantur præſidio, perſpicua brevitate indicatur, adiecto modeſte iudicio noſtro, ſaltim, in quam partem propendeamus, non occultato. In prima parte id agitur maiori cura, cuius cauſſa inducti ſumus, vt in argumento hoc, multis contemto & parui facto, aliquid componeremus. Vtique multi anni ſunt, ex quo certis de cauſſis diſceſſi a vulgari ſcribendi*

Digitized by Google

ratione, illamque elegi, quæ poſt litteras renatas a plurimis eruditorum in XVII. *vſque ſæculum Chriſtianorum fuit approbata, nec inſequenti tempore vbique gentium deſerta, ſed a doctiſſimis etiam viris in diuerſis nationibus adhuc induſtrie conſeruata. Hanc ſcribendi meam & multorum conſuetudinem explicare non alienum viſum fuit, vt, quibus cauſſis illa oriatur, quibuſque tueatur ſe, ſi quibus minus eſt cognitum, vt non pauci mihi confeſſi ſunt; diſtinctius id declaretur. In qua tota cauſſa me ita ſemper geſſi, vt nemini aliquid obtrudam, ac ne diſcipulos quidem adigam, vt orthographiam meam imitentur: ſed expoſitis documentis diuerſarum opinionum, cuique integrum relinquam, vt, quam velit, in ſcribendo viam ingrediatur. Hortor tantum & idemtidem admoneo, vt quiſque certus in ſua ſit conſuetudine, ſemperque paratus argumentis eam & rationibus probare ac tueri.*

OR-

ORTHOGRAPHIAE LATINAE

PARS PRIOR

DE LITTERIS LITTERARVMQVE ADFECTIONIBVS.

Litteræ ſunt inuentæ, vt cuſtodiant voces, &, vt Fabius ait, velut depoſitum reddant legentibus. Illarum ſigna ſeu figuras Græci a Phœnicibus; a Græcis Romani ſiue Itali dicuntur accepiſſe. Horum alterum iam nobis curæ eſt, idque haud difficile ad probandum: quia pleræque illarum figuræ communes Græcis cum Latinis ſunt, A, E, I, O, B, M, N, T, & quæ Græcæ ideo apud Latinos etiam vocantur, Y, K, Z; aliæ leuiter inflexæ ita, vt etiam ad originem perfacile reuocari poſſint. Numerus neutri genti admodum certus fuit, ſed proceſſu temporis, & ſermonis varietate auctus aliquando aut mutatus, quemadmodum patrum memoria Latinæ quædam litteræ I & V ad id tempus vniformes, pro ſoni diuerſitate a multis factæ biformes ſunt: de quibus infra dicetur. Non autem iam de numero diſputabimus, de quo Priſcianus lib. 1. conſulatur; ſed recepto adquieſcentes, de litteris, &, quæ his accidunt, mutationibus diſquiremus.

SCRIPTVRA DVPLEX, ROMANA ET MINVSCVLA.

Olim ea figura litterarum erat, qualem in nummis & antiquis inſcriptionibus videmus, maiuſcula omnis, ſiue, ut noſtri typographi vocant, *verſalis*, quia verſus iis in mutata etiam ſcriptura plerumque incipiuntur. Cuius formæ antiquiſſimi etiam codices in Italia & alibi ſuperſunt, ſcripti ante, quam barbaræ gentes cultiſſimas imperii Romani regiones occuparent. Minor ſcriptura altera, quam vulgarem & currentem dicunt; velocitatis cauſſa adſumta eſt, adiuuante barbarorum depravatione: eaque poſtmodum, quod commoda erat, & libri ſcripti omnes ſunt, &, arte multiplicandi inuenta, typis etiam expreſſi. Nihil autem hæc ſingulare habet aut proprium in orthographia, ſed vt vices maiuſculæ gerit & antiquæ, ita illius quoque legibus continetur, niſi quod in quæſtionem venit, quando neceſſe ſit maiores litteras minoribus, in principio vocabulorum admiſcere.

LITTERAE GRAECAE Υ, Θ, Κ, Φ, Χ, Ζ,

Caute Græcas litteras Latini tractant. Sunt autem υ, θ, κ, φ, χ, ζ, quæ tantum in iis verbis ſunt reſpiciendæ, quorum manifeſta ex Græcis petita eſt deriuatio; non a coniectura nugacium grammaticorum. Sic *y* male adſumtum eſt in *ſydus*, *ſyncerus*, *tyro*, quæ nullo modo ſunt ex Græcia: dubie in cetera, *ſylua*, *hyems*, *ſtylus*, *clypeus*, *inclytus*, *lacryma*: & ſi hæc eſſent ab ὕλη, ὕω, ϛύλος, γλύφω, κλυτὸς, δάκρυον, (quod tamen non omnibus eſt liquidum) tamen recepta vſu ita

ſunt

ſunt, & Latina ciuitate donata, vt tamquam nata in Latio, non vt Græca & peregrina, cenſeantur. Obertus Giſanius, præfatione in Lucretium præclare: *De Græcis verbis, iiſque omnibus, quæ Græca ſunt origine, ſed Romana prorſus iam facta, recte exarandis, longe alia mihi, quam quæ vulgo, eſt ſententia. Puto ea, quæ in vetuſtis codicibus vno conſenſu, licet Græca, Romano more ſunt exſcripta; itidem a nobis ſcribi debere, vt ſua cuique relinquatur & vindicetur conſuetudo. Quæ autem Romana iam ſunt vocabula, licet Græciæ originem debeant ſuam, non ideo tamen ſcripturam ſequi debent*. Exempla, quæ ad *y* pertinent, hæc appoſuit, *hiems*, *ſtilus*, *ſilua*, *inclitus*, *clipeus*, *lacrima*. Quædam ex his interdum per *V* ſunt ſcripta, vt *lacruma*, *inclutus*, *clupeus*; ſed hoc archaiſmum ſapit, qui poſtea cultiori æuo fuit emendatus: *Sulla* vero, viri nomen, quod Græci Σύλλα ſcribunt, Latinum eſt, ideoque ubique fere *u* ſeruatum.

Littera ϑ Latine per *th* reddenda eſt, quod ex innumeris propriis, *Athenæ*, *Thebæ*, *Thracia*, & ceteris eſt clarum: an vero etiam *author*, *lethum*, *thus*, *Thuſcia*, ſcribendum ſit, ſunt qui dubitent; verius negant alii. Ecquod enim Græcum nomen eſt, unde *author* ſine ineptiis ducatur? quam incertum, *lethum* eſſe a λήθη, *thus* & *Thuſcia* a θύω, id eſt ſacrifico? Veteres ſcripſerunt *auctor*, *letum*, *tus*, *Tuſcia*, vt a Manutio ex antiquis probatum monumentis eſt. Par ratio proprii *Anthonius*, vt perperam quidam hodieque ſcribunt, quum ſemper Romani *Antonius* ſine adſpiratione ſcripſerint.

K Græcorum reddimus per C, in quod tranſiit, vt raro inter Latinas appareat, & in paucis tantum vocabulis, vt *Kalendæ* in libris & lapidibus; *karus* & *kariſſimus* in cippis antiquis ſæpe: quod vero, quia in libris non eſt, nemo pu-

A 4 tat

tat facile imitandum eſſe : minus ea imitanda , quæ rariſſime in ſaxis , ſunt , EVOKATI , ARKA , MERKATOR ; & in nummo Valeriani VOLKANVS.

Φ valet *ph* , & tantummodo Græcorum eſt , vt *Phoſphorus* , φώσφορος. Non autem locum habet , vbi in Græca origine non eſt , ac male *Boſphorus* ſcribitur , & *trophaum* , quia vtrumque in Græcis π habet , Βόσπορος a πείρω , *traiicio ;* & τρόπαιον a τρέπω , *verto*. Solum nomen *triumphus* , ex Græco θρίαμβος , non alia , quam priſcæ conſuetudinis lege mutat & θ & β , ibi abiecta adſpiratione ; hic adſumta illa , & ſimul littera mutata β in π. Olim quidem *triumpus* dicebant , vt Cicero in Oratore c. XLVIII. teſtis eſt ; poſt autem , conuicio aurium flagitante , *triumphus ;* id quod in lapidibus obtinet : in poſterioribus etiam *triumfus*.

X Græca littera per *ch* exprimitur , vt *chaos* , *chimæra* , *charta* , *machina*. Raro Latinis , aut quorum incertior origo eſt , vindicatur , vt *pulcher* , *inchoo*. nam & antiquitus *pulcer* dixerunt , vt Cicero auctor dicto loco eſt : poſtea ſuauitatis cauſſa *h* adiectum : ſine ratione autem *ſepulchrum* , *&* *lachrymæ* vulgo ſcribunt , quia , quod Cicero ibidem addit , *per aurium iudicium ſemper licet dicere* SEPVLCRA , LACRYMAS. Fauet etiam originatio , quia *ſepulcrum* eſt a *ſepultum* , ſicut *ambulacrum* ab *ambulatum* , *lauacrum* a ſupino *lauatum* , nulla adſpiratione interueniente : *lacrymæ* autem a δάκρυον. Eadem ratio eſt *charus* , *charitas* , vnde expelli decet adſpirationem. Nec Gallorum *cher* , *charité* quidquam probant , quum ii etiam *chair* ex *caro* forment , *chien* ex *canis ;* ubi nemo vmquam de Latinis adſpirandis cogitauit. Accedit , quod ſæpe numero in lapidibus legatur KARISSIMVS , e. g. Grut. pag. 418. MATRI KA-

KARISSIMAE; & pag. 424. MARITO KARISSIMO, & p. 428. CONIVGI KARISSIMO. K autem expers eſt adſpirationis; atque ita etiam C, quando pro K Græcorum eſt. Hac veteri ſcriptura confutantur, qui *carus* a *χάρις* deducunt. Nihil enim commune κ & χ habent: vt de accentus diuerſitate nihil dicam. Non ergo *carus*, dilectus, differt a *carus*, quod eſt pretioſus, niſi quod hoc proprie, illud *μετωνυμικῶς* dictum eſt. Pretioſa enim ſunt grata & dilecta.

Stat ergo *y*, *ch*, *ph*, *th*, litteras Græcas eſſe, Latinis vocibus non inſerendas, niſi *ch* in pauciſſimis, vbi vſus poſcebat & euphonia. Bene Flauius Caper, vetuſtus grammaticus pag. 2246. (ed. Putſch.) *Y litteram nulla vox noſtra adſciſcit*. Et Priſcianus lib. 1. pag. 543. *Y & Z Græcorum cauſſa nominum adſciuimus*. Et ſic de ceteris Græcis cenſeatur.

VOCALES LATINAE.

Hactenus de *Y* vocali Græca aliiſque Græcis litteris: Latinæ ſequuntur litteræ, & primum *Vocales*, non omnes; A enim & O nihil difficultatis habent, ſed ſolæ E, I, & V.

E breve reſpondet Græco ε, ut communis figura antiqua E confirmat: longum, Græco η, vt *Epirus*, *ſcena*; aut etiam ει, vt *Laodicea*, *Apamea*, & Horatii *Alexandrea*: de quibus infra aliquid dicemus. E & I, vt cognatæ vocales ſunt, ita olim permutatæ aliquando, etiam in diuerſos vſus coniunctæ, diphthongorum more. Priſcianus lib. VII. de accuſatiuo plurali tertiæ, ita tradit; quorum primus & ſecundus caſus ſingulari numero ſint ſimiles, eorum quartum plurali plerumque veteres in *is* longum, non in *es*, qui ſuetus exitus eſt, for-

formaſſe. e. c. Salluſtii principio: *Omnis homines niti decet*. Aeneid. IV. v. 427.

-- -- cinerem maniſue revelli.

Et lib. IX. verſ. 60.

-- -- ventos perpeſſus & imbris.

Et ſic vbique apud Virgilium, quod etiam ab iis qui cum cura ediderunt, ex MSS. ita expreſſum eſt. Et veteri lapide apud Grut. pag. 198. extrema, FINIS TERMINOSQVE STATVI IVSSIT. Ac Piſis in Caii Cæſaris cenotaphio VLTRA FINIS EXTREMAS. Vt vero diſcrimen τοῦ *is* longi & brevis significarent, multi vtramque vocalem, qua exire accuſatiuus ſolet, E & I coniunxerunt, vt in Ciceronis libris, a Grutero caſtigatis, ſæpe videmus *ciueis*, *forteis*, *cadeis*, *omneis*, cetera: & Lucretius lib. III. verſ. 116.

-- -- & omneis accipit in ſe

Lætitia motus, & curas cordis inaneis.

Quod Soſipat. Cariſius etiam lib. I. ad alia, quæ creſcunt genitiuo, transfert, *maioreis*, *homineis*, pag. III. Et in veteri tabula Grut. p. 204. pr. GENVATEIS.

Caſus quoque I & IS plurales, etiam aliud I, longum præſertim, olim EI ſcribebatur. v. g. Grut. pag. 199. SALENTINEI, RHEGINEI: & pag. 296. ſeq. DE BRVTTIEIS, DE TVSCIEIS, DE CORSEIS: item pag. 506. ſeq. QVEI SIET, ſingulari numero: SEI, ſi; NEI, ni; VBEI; IBEI: PARENTIS SVEI: SEINE SVFFRAGIO. Id quod Varro in auferendi caſu in *is* exeunte conſtanter ſeruat, vt lib. V. de LL. *antiqueis littereis: & lib.* VII. *a balneeis:* ſæpe etiam in i, vt eodem libro *nominandei caſibus:* ibidem, *vocandei*, *appellandei*. Hæc vero vt antiqua erant, ita vſus ſenſim, vt ex inſcriptionibus

cla-

clarum eſt, abrogauit. De *I* conſona acturi infra ſumus. Antiqui etiam *ii* contrahebant, præſertim in verbis ex *Iacio* compoſitis. Grut. pag. 206. ex vetuſto fragmento contractus agrarii DEICITO: & pag. 207. PROICITO: quod illuſtriſſimus Noris Cenotaph. pag. 473. Virgilio Mediceo fere perpetuum eſſe, exemplis productis demonſtrat. I tum educitur; etiam alibi ſæpe in antiquis monumentis, ſi longa quantitate eſt: nec vero id perpetuum, quia correpto idem interdum contigit. De compoſitorum ex *Iacio* contractione contrarium ſentit Gellius lib. IV. cap. XVII.

V littera & vocalis eſt & alio uſu conſona: utriuſque figura ſemper eadem vſque dum auorum memoria a paucis primum, dein a pluribus, nec vere ad hanc lucem ab omnibus, mutaretur. Sed de mutatione illa poſtea. Nunc de concurſu *V* gemini aliquid dicendum eſt. Priſci Romani timide coniungebant, ac vt concurſum declinarent, alterutrum, quod vocale eſt, plerumque mutabant in O; alterum autem, quod manebat, vt digamma Aeolicum pronuntiabatur: quamquam antiquitus alium & huius ſonum fuiſſe ex Quintiliani lib. I. cap. VII. non obſcure probari poteſt. *Noſtri*, inquit, *praeceptores* cervom ſervom*que*, V *&* O *litteris ſcripſerunt, quia ſubiecta ſibi vocalis in vnum ſonum coaleſcere & confundi nequiret: nunc* V *gemina ſcribuntur*. Si vocalis ſibi ſubiecta, ergo non ſemper prior vt conſona pronuntiata, nec opus diverſa figura fuit. Difficultatem vt vitarent, O in locum vocalis ſubſtituerunt, dicentes *volgus*, *volnus*, *ſervos*, *aceruos*. Inſcriptione vetuſta Grut. pag. 204. legitur FLOVIVM & CONFLVONT. Terentius Scaurus Orthograph. pag. 2251. EQVOM & SERVOM *& ſimilia antiqui per* VO *ſcripſerunt, quoniam ſcierunt vocalem non poſſe geminari*, *cre-*

credebantque, & hanc litteram geminatam utroque loco in ſua poteſtate ſeruari, ignorantes, eam, præpoſitam vocali, conſonantis vice fungi, & poni pro ea littera, quæ ſit F. Eminentiſſimus vir Henricus Noris Cenotaph. Piſ. p. 470. addit, *non plane ignoraſſe, ſed ex modo* V *litteram pronuntiandi, credidiſſe non poſſe geminari, quin ſyllaba augeretur*, e. g. ſer-u-us. *At Auguſto imperante prius* V *pro conſonante acceptum: Claudium imperatorem, quod rem ſatis dubiam apud pleroſque animaduerteret, Aeolicum digamma inuexiſſe, quod inuerſa litera* F *forma exprimeretur*. Vnde eodem principe facta inſcriptione legimus Grut. pag. 236. num. 9. D I Ⅎ I C A E S A R I S F. item X V Ⅎ I R & V I I Ⅎ I R: ſed hoc digamma, & aliæ duæ, a Claudio adiectæ, exſtincto illo, vt Tacitus ait lib. XI. cap. XIII. *oblitterata*, priſtinuſque vſus V V duplicis, quod ex poſterioribus etiam inſcriptionibus liquet, reuocatus. Priſcianus lib. 1. pag. 545. V *loco conſonantis poſita, eamdem prorſus in Latinis vim habet, quam apud Aeoles digamma* F, *id eſt* Vau, *ab ipſius voce profectum. Pro quo Cæſar hanc figuram* Ⅎ *ſcribere voluit: quod quamvis illi recte viſum eſt, tamen conſuetudo antiqua ſuperauit.*

Tandem de V etiam quærendum eſt, an recte in ſuperlatiuis pro I adhibeatur, *optumus, maxumus*: item in gerundiis ac cognatis participiis, *gerundi, dicundus, opprimundus*. Archaiſmus eſt, quo Salluſtius cum primis delectatur. Quintilianus lib. 1. cap. VII. primum *C. Cæſaris inſcriptione factum, vt optimus, maximus, mediam I, quæ veteribus V erat, acciperent*. Quod maximus Noris antiquioribus teſtimoniis Cenotaph. pag. 472. confutat. In participiis diutius ſeruatum, aliquando etiam ab ipſo Cicerone. Superlatiui quoque *ſimillumus, iuſtiſſumus* in Cenotaphio Caiano leguntur: ſed plura in eo ſunt antiquiori more poſita. *Decumanus* autem, a *Decimus* quod eſt, vſus confirmauit.

M V-

MVTATIO IN V ET I TENTATA.

Auorum memoria plerique in figurarum additionem, non contenti antiquo numero, dedita opera coniurauerunt, duas nouas adiicientes, ſicut tres Claudius adiecerat. Quæ enim in maiuſculis vna per tot ſæcula V vel *V* fuerat, pro valore diuerſo mutata ſeu diuiſa fuit, vt V digamma & conſonantem ſignificaret; vocalis nouam formam U vel U indueret. In minore ſeu currente ſcriptura fuit quidem gemina forma v, *v* ad veterem faciem; & u, *u* connexionis cauſſa, vt videtur, in vſum recepta: ſed non pariter adhibitæ ambæ, nec ſemper ad eumdem uſum. Maiuſculæ, id eſt veteris Romanæ ſcripturæ una figura V fuit, ſiue ea vocalem, ſiue conſonantem ſignificaret, id quod ex nummis & inſcriptionibus manifeſtum eſt. Necdum centeſimus annus eſt, quum altera U, U, vocalis litteræ quæ nota eſſet, adiiceretur. Qui ergo antiquitatem imitantur, abſtinent noua forma U, ſeu vt noſtra memoria a Belgis & Gallis rotundari in baſi cœpit, U; ſola vtuntur antiqua V, quæ angulum acutum in parte ima habet. e. g. IVLIVS, FLAVIVS, IVVENTVTIS. Minori ſcripturæ in manu exaratis libris plerumque eſt u ſeu *u*; rarius, quæ ex maiori expreſſa eſt, v, *v*, fere in principio vocabulorum. Ex quo factum eſt, vt primis ab inuenta typographia libris vbique forma u, *u*, in principio & medio, pro vocali & conſonante ſcriberetur, quod a multis per dimidium XVI. ſæculi ita retentum fuit, v. g. *uiuus*, *uerus*, *una*, *unus*. Qui vero curatius omnia exprimere voluerunt, inter vtramque formam v & u non reſpectu valoris, qui vtrique communis manebat, ſed ratione

tione ſitus ac loci diſtinxerunt ita, ut, v, *v* ſemper ab initio vocis eſſet, u, *u* ſemper in medio. v.g. lex eſt *vt vna vxor vnius viri* ſit: item *huius aui iuuenes viuunt licentius*. Atque ita ab initio fere ſæculi XVI. cœperunt libri exprimi, vt hoc ſitus diſcrimen inter v & u obſeruaretur; quemadmodum Ioannes Petit, typographus Pariſienſis, ea lege Iuſtinum, Florum, Rufum & alios auctores exſcripſit: & ſub idem tempus, CIϽIϽX, ex eadem vrbe Oroſius prodiit impreſſus ab Io. Barbier. Atque ita ſcriptum fuit publicis litteris, prelo excuſis, vltra initium ſæculi inſequentis, quo rara mutatio vſque ad viceſimum annum fuit, a quo tempore maiorem in modum mutatio inualuit. Non autem vidi antiquiorem librum, quam Woberi Minucium Felicem CIϽ IϽCIII. impreſſum, qui nouo illo, quod adhuc obtinet, inter u & v diſcrimine exſcriptus ſit; quamquam & ipſe in *I*, *i* teneat veterum, etiam conſonantis vigore, rationem.

Nam altera littera, in cuius forma nouatores aliquid mutarunt, eſt I, i, quæ olim & conſona & vocalis ſub eadem figura erat. Mutarunt autem ita, vt I, i, vocalis vim ſeruaret: pro conſona ſignanda talem caudam adiecerunt J, j, *J*, *j*, in omni antiquitate ad id vſque tempus inuiſam. Nummi, lapides vnam figuram habent: libri etiam omnes longe vltra ſexcenteſimum a milleſimo annum. Sic enim e.c. ſemper ſcriptum fuit IVLIVS, IVNIVS, POMPEIVS, LVCCEIVS; & minori forma *iaceo*, *adiicio*, *eius*, *peior*, cetera. Quamvis vero plurimi nouitatem hanc in V & I ſequantur; non defuerunt tamen clariſſimi viri, qui veterem ſcribendi rationem tenendam eſſe exiſtimarent; Galli, Germani, & maxime Itali, qui etiam in vernacula vt plurimum adhuc, & quum Latine ſcribunt, obſeruant: e quibus, vt de aliis taceam,

instar

inſtar omnium Henr. Noris, vir ſummus, eſt, cuius in Piſana Cenotaphia commentarii ad oculos id demonſtrant: Germania Freinshemium, Bœclerum, Io. Andr. Boſium, principes ingenii atque doctrinæ, oſtentat, quos duces in hac ſcripturæ cauſſa præcipue me ſecutum eſſe profiteor. Nec auctoritate ſolum tantorum hominum mouebar, ſed aperta etiam ratione. In minori enim ſcriptura ex V maiuſculæ & antiquæ factum, u, *u* eſt connexionis cauſſa, quæ deſcribentibus curæ erat & commoditati: quod vero in principio vocis non opus illo nexu erat, factum, vt antiqua forma v, *v*, ſed minuta, ibi relinqueretur. Igitur nihil eſt, quod quidam formam *u* vbique in principio & medio reducere inſtituunt, quoſdam codices fortaſſis imitati, ſed non probatiſſimos, & qui rationem iam dictam poſthabuerunt.

At vtile, aiunt, & ad legendum & pronuntiandum eſt, ſi diſtinxeris illo nouo more inter V & U, inter I & J, præſertim pueris & tirunculis percommodum. Sed quoties aliter legimus ac ſcriptum eſt, quod cumprimis linguæ Gallicæ contingit: nonnumquam etiam Latinæ, vt vel ſolæ diuiſæ diphthongi probant? Vſus tot ſæculis confirmatus, omnia reddit faciliora. Et cur non nouatores iſti alphabetum vulgare augent, & mutant ordinem litterarum? cur in Indicibus & Lexicis ſuis non diſtinguunt & ſeparant, quæ ab V & I vocalibus incipiunt, & quæ a conſonantibus? ſi conſuetudinis & antiquitatis cauſſa id dicent tolerari, (nec enim ſubeſt cauſſa alia) cur non tolerant etiam antiquam figuram propter eamdem conſuetudinem ex antiquiſſimis temporibus deductam atque traditam? Nemini grauis ſum, nemini veterem ſcribendi rationem obtrudo, ſed diſcipulis etiam integrum relinquo, morem in hac re, quem volunt, imitari: tantum meam conſuetudinem, nec ſolius meam, ſed clariſſi-

riſſimorum etiam virorum, immo poſt reſtituta litterarum ſacra, per centenos amplius annos fere omnium eruditorum, expono, atque iis, quas dixi, rationibus defendo.

DIPHTHONGI AE & OE

A vocalibus quæ ſimplices erant, ad duplicatas venimus ſeu diphthongos, quæ pluresquidem Latinis ſunt: duæ autem inter ſcribendum controuerſæ, quia diſceptatur, ſintne vno ductu coniungendæ, an diuiſæ & ſimplices, ex quibus conſtant, ſeparatim apponendæ. Prima diphthongus olim non A E, ſed Græcorum more A I ſcribebatur, quod nomina in denariis reliqua & antiquis monumentis AILIVS, AIMILIVS, cetera, oſtendunt, quod cum aliis, *terrai*, *frugiferai*, & Grut. p. 81. BONAI DEAI, in archaiſmis relinquendum eſt. Raro poſteriores ἀρχαιότητα illam æmulati ſunt, vt in Claudii inſcriptione Grut. pag. 194. CAISAR eſt.

De Latinis diphthongis autem aliter in maiuſcula & Romana ſcriptura ſentiendum eſt, qua ſemper diuiduntur A E, O E, & eliminanda figura Æ, tamquam ignota antiquitati: aliter in ſcriptura minuſcula ſiue currente, qua connexio æ, *æ*, œ, *œ* olim ſub tempus reſtitutarum litterarum, haud dubie ex MSS. codicibus introducta & conſeruata fuit. Tota enim illa ſcriptura velocitatis cauſſa adſumta fuit, & connexas fere in MSS. litteras habet. Et licet poſteriores ſcripti codices plerumque diphthongos negligant, & vbique *e* ſimplex præ ſe ferant: alia tamen ratio antiquorum meliorumque eſt, ad quos reſtitutores litterarum reſpexerunt. Aldus Manutius P. F. cœpit ae, oe, etiam in minuſcula ſcriptura ſeiungere, quem vero, qui imitarentur,

per

per longum tempus nulli aut pauciſſimi fuerunt. Noſtro æuo quum vnus & alter e clarioribus reducerent, plures nunc æmulantur, ſed, quod illorum pace dixerim, ſine cauſſis iuſtiſſimis. Nam quod antiquitate ſe tuentur, illa rationem quidem in maiuſcula ſcriptura habet, cui inepte Æ intruditur pro A E; non item in minore: aut ſi in hac quoque tam obſeruantes ſunt antiquæ conſuetudinis, cur plerique, qui diuidunt, U & J, ignotas veteribus figuras, ſuas faciunt? cur ET innectunt &, &, vulgari more? cur Q V E ſæpe implicate ſcribunt q (*transverſa lineola*), aut ineptius ſemicolo q; ſiue *q;* appoſito? omnia hæc contra Romanum morem non tolerant modo, ſed multi etiam ipſi ſcribunt, ac typo curant exprimi, incurioſi ſic antiquitatis; in ſolis diphthongis ſcrupuloſi atque ſeduli. Noui, non omnes qui *ae* diuidunt, hæc admittere, ſed quoſdam *et* diſſoluere & a glomerato *q* ſibi temperare; plurimi autem diſcernendo V & U longiſſime diſcedunt ab antiquis. Quid? quod tota illa minuſcula ſcriptura contra antiquitatem eſt, barbaris temporibus detorta & deprauata ex Romana, quæ omnis abiicienda eſſet, ſi vbique antiquum morem in ſcribendo vellemus obſervare.

Quid vero dicemus de Æ in denariis quibuſdam per nexum expreſſo? an iccirco ſatis antiqua illa eſt connexio? Eſt antiqua, ſed rariſſima, & nummorum fere propria, quibus ſpatii anguſtia varias litteras, non tantum A E, ſed plures alias & ſæpius alias, quam AE, connectit. Fuluius Vrſinus in nummis familiarum habet ÆBVTIVS, CÆCina, CÆSius, CÆSAR, LÆCA; ſed oppido rara: & eiuſdem etiam nummis hæc ipſa nomina ſæpiſſime per AE, diuiſas litteras, exſcripta, immo ſemper ſunt, paucis iſtis exemplis, iiſque ſingularibus, exemtis. In nummorum autem litteris ligandis

gandis plus ſibi ſumebant Romani, quam in aliis monumentis, ſpatii, credo, anguſtia inducti: idque non ſolum in AE, ſed in aliis quibuſcumque litteris, vocalibus & conſonantibus. In iiſdem enim Vrſini Familiis, per nummos demonſtratis, obſeruamus etiam:

AD, *id est* AD; AL, AL; ANT, ANT; AR, AR; AT, AT, TA; *nam idem in* Cato &c. Cotta *inuenimus*: AV, AV; AVR, AVR; IB, IB; ET, ET; HE, HE; MA, MA; MAR, MAR; ME, ME; MP, MP; MV, MV; MVR, MVR; NE, NE; NT, NT; TE, TE; THE, THE; TR, TR; TV, TV; VAL, VAL; VAR, VAR; VD, VD; VE, VE; VF, VF; VL, VL; VR, VR; VT, VT;

quæ omnia luculente oſtendunt, anguſtum ſpatium in paruis nummis fuiſſe in cauſſa, vt litteras quaſdam artifices contraherent & ligarent: quod ſecus ſe in lapidibus ac æneis tabulis habet, vbi omnia plerumque ſunt plene diſtincteque expreſſa. Quemadmodum vero ineptum foret, hos varios nexus litterarum hodieque, & frequenter, aut vbique imitari; ita non plus præſidii in nummis eſt connexæ formæ Æ quam ceterarum omnium formarum, quas oſtendi, ad imitandum, quia figura Æ, æque raro, immo rarius in denariis, quam ceteræ nexiles omnes, occurrit: vt adeo in maiuſcula ſcriptura, ſi Romanos ſequi

ſequi conſtituimus, AE ſeparatim, etiamſi diphthongum ſonant, ſint ſcribendæ, non in vnam confundendæ formam ſeu figuram: minoris vero ſcriptionis, quæ nexibilis per ſe in manu ſcriptis codicibus apparet, & velocitatis cauſſa inuenta eſt, omnino alia, & ab reſtitutoribus litterarum, viris ſane doctiſſimis, approbata & confirmata ratio eſt, quam qui ſequitur, minus mihi aberrare videtur, ſi modo in maioribus litteris diuiſam Romanorum ipſe ſcripturam in hac diphthongo AE perſequatur.

Eadem conditio diphthongi OE, œ eſt, eaque propterea facilior, quia eſt rarior quam prima AE; & plerumque vocum Græcarum, quorum *oi* ſic refertur, vt *mœchus*, *pœna*, *prœmium*, *œconomus*, *Oedipus*, *œnopola*, *Oeta* mons; in paucis ineſt pure Latinis, vt ſunt *mœnia*, *prœlium*, & in propriis *Cœlius*, *Clœlius*, quamuis nec in his vbique eſt conſtans ratio, vt in parte poſteriore oſtendemus. Maiuſculas inter litteras ſemper eſt OE ſine connexione ſcribendum, ſicut nec typographi hodie connexam eius formam majorem habent: minoris autem ſcripturæ ac velocioris ratio eſt eadem, quæ dicta modo in æ ſiue AE fuit.

Sic plenas nunc ſcribendi rationes habemus, quas doctiſſimos viros ſecutus adhuc mihi exprimendas propoſueram, quæ in hoc præcipue conſtitutæ ſunt, vt maioribus litteris vbique Romanos veteres imitemur, vitando Æ connexam diphthongum, & U & J figuras nouas: minuſcula autem in ſcriptura æ ac œ; & non nectentem v, *v* in principio ponamus; u, *u* in media voce, eiuſque fine. Non ſuademus, nec magnopere hanc ſcribendi legem commendamus: ſed explicamus & defendimus vbique olim conſuetudinem receptam, quam cum paucis ipſi, antiquitatis veneratione, nec argumentis probabilibus deſtitutam, æmulamur.

CONSONANTIVM MVTATIONES EXTRA COMPOSITIONEM CVM PRAEPOSITIONE.

Conſonantes litteræ in ſcribendo etiam variant aut permutantur facile, præſertim ſi cum prioribus poſteriora tempora conferantur. Sic B in V, ac verſa vice mutatum videmus, in inſcriptionibus ſæpe, & frequentius in legibus iuris Romani, v. g. DANVVIVS amnis, apud Grut. pag. 448. ACERVVM *fatum*, id eſt acerbum, pag. 519. BERVM *etiam*, Spon. Miſc. p. 36. id eſt *verum* etiam: *Probaberit*, id eſt *probauerit*, lege XXXIII. Dig. de condic. & demonſtr. Sed hæc ad normam Auguſti æui reuocanda, non imitanda temere: in libris autem & lapidibus non improbanda, quia temporis excuſationem habent. Videas etiam antiquis inſcriptionibus P loco B poſitum eſſe: Grut. pag. 436. ex Marii æuo APSENS: & in fragmine agrariæ legis p. 503. OPTINEBIT: & in Cenotaphio Caiano APSTINERE, & OPSERVARI; & in altero Lucii, OPSEQVENTI. Cauſſam tradit Quintilianus I. cap. VII. *Quum dico* OPTINVIT, *ſecundam* B *litteram ratio poſcit: aures magis audiunt* P. Notanda hæc ſunt, non imitanda. Quod enim *B* præpoſitionis *ob* in compoſitione durius pronuntiarunt; nonnumquam ita, ut pronuntiabant, etiam ſcripſerunt.

C & T quoque varie permutantur. *Conditio* origo poſcit: *condicio* veteres libri tenent atque lapides. In ITIVS exeuntia elegantiores per C ſcribunt, *Sulpicius*, *tribunicia poteſtas*, *ædilicius*, *cæmenticius*, reliqua; & ſic eſt in nummis ac lapidibus, quæ omnino vera ratio eſt.

D & T cognatæ litteræ, ideoque antiquis ſæpe per-

permutabiles. S E T Grut. p. 654. aliquoties legitur: & A P V T pag. 378. etiam Q V O D A N N I S & A D Q V E. in multis inſcriptionibus, & in ipſo Auguſti æuo cenotaphiis Caii & Lucii Cæſarum. Vide Ang. Politiani lib. IV. epiſt. IX. Henr. Noris in Cenotaph. pag. 452. ſeq. Nobis autem antiquitatis non rariora, ſed quæ frequentiore in vſu erant, ad imitationem ſunt trahenda.

F non digamma ipſum eſt, a Claudio adiectum, quamuis figura ferme conueniat, ad Γ Græcum lineam addens tranſuerſam nouam; ſed vetus littera, in Capitolinis fragmentis nominibus *Fabii*, *Flaminii*, *Furii*, & aliis expreſſa. Digamma vero *V* potius, quando vim conſonantis habet, reſpexit.

Litteræ G figura non eſt antiquiſſima, ſed communi vtebatur cum C. Vnde eſt quod in vetuſta Duilii columna legimus L E C I O N E S, M A C I S T R A T O S, P V C N A N D O: & ideo etiam prænomen *Caius* ſcriptum per C; *Gaius* vero pronuntiatum, vt Græci Γάϊος ſcripſerunt, Romano ori ſe accommodantes: C vero antiquitatis cauſſa ſcribendo tam in hoc, quam in *Cneii* prænomine retentum fuit. Quintilianus lib. I. cap. VII. *Caius* C *littera notatur*. Terentianus Maurus pag. 2402.

Scribimus prænomen vnum, & C *quidem præponimus:*
G *tamen ſonabit illic, quando Cneium enuntio,*
Aſperum quia vox ſonorem leviore interpolat,
Vel priores G *Latini nondum ab apice finxerant.*
Caius prænomen proinde C *notatur,* G *ſonat.*

K in Græcis ſupra expoſitum. M a ſociis quæ apponuntur, aliquid damni patitur. Volunt enim grammatici, ſequente *D*, *T* & *Q* in *N* conuertendam eſſe. Sic dicitur *tantundem*, Grut. pag. 206. ex vetuſto fragmento: *eandem*, Ancyrano monumento. At vero molle eſt auribus *aliquamdiu*: cur ergo non etiam *tamtumdem*, *eamdem*? Cæſellius, vetus

grammaticus, apud Caſſiodorum Orthogr. cap. x. in ſimili exemplo, quod poſtea producemus, *N ſonare debet, tametſi in ſcriptura M poſitum ſit*. Sæpe enim aliter ſcribitur, aliter pronuntiatur. Vſus autem *tandem* habet, non *tamdem*. Ante *T* eadem difficultas. Cæſellius ibidem: *Tamtus & Quamtus in medio* M *habere debent, vt Tam & Quam*: ſed præualet conſuetudo, quæ *N* ſubſtituit. An vero prohibitum *MT* coniungere? non puto. nam D V M T A X A T in inſcriptionibus legitur, non diuiſe modo, vt Gruteri pag. 506. 507. ſed etiam coniunctim pag. 574. 575. & Spon. Miſc. pag. 52. & eius Recherch. pag. 327. & Oxonienſ. marm. LXIV. pag. 124. Nihilominus *P* videtur inter M & T ponendum, vti eſt in *ſumptus*, *emptus*, *redemptor*, *comptus*, & ſimilibus, quæ ita in vetuſtis quoque lapidibus leguntur. Leguntur, fateor, ſic frequenter, vt ſonantius pronuntientur; nec vero id ſemper, ſed legitur etiam E M T V M antiquo fragmento agrariæ legis, Grut. pag. 203. & eodem fragmento R E D E M T V M; ac p. 471. R E D E M T A itidem cum antiquitatis indicio. Et vrbis inſcriptionibus, quorum locum deſignat Dauſquius, S V M T V S V O: item INCENDIO CONSVMTVM RESTITVIT.

Eadem ratio eſt litterarum MS, quarum iunctura etiam quibuſdam ſuſpecta videtur, aut dura pronuntiatu; niſi *p* interponatur, vt *ſumpſi*, *dempſi*, *prompſi*. Cur vero componimus *etiamſi*, neque dicimus *etiampſi?* par ratio vtrobique eſt. Et apud Spon. in Miſc. pag. 36. inſcriptio eſt V E T V S T A S C O N S V M S E R A T.

Vides quam non vniuerſalis regula Priſciani ſit lib. x. *In M O deſinentia, ſi vocalis longa antecedat O, in* P S I *converſa proferunt præteritum, vt, ſumo, ſumpſi; promo, prompſi: demo, dempſi; como, compſi. Hac autem S I in T V M convertentia faciunt ſupinum;* vt

vt ſumo, ſumpſi, ſumptum; promo, prompſi, promptum; cetera. Sed quaſi pœniteret rationis de *longa* vocali antecedente, ipſe ſibi mox obiicit verbum breui vocali *emo*, & ad laxiorem rationem confugit. EMI *vero*, inquit, EMPTVM *facit, quod ideo adſumpſit P, quia non poteſt M ante T ſine P inveniri euphoniæ cauſſa*. En aliam inconſtantiam! Priſcianus ducit *mpt* ex præteriti *mpſi*: contra Papirianus pag. 2292. *mpſ* probat ex *mpt*. SVMPSI, inquit, *quæritur, an poſſit ſine P ſonare? Sed quia & in alia declinatione P reſpondit, quum dicimus ſumptus, ſumpturus; neceſſario per P ſcribi debet*. Frequentior vſus in his eſt cum *P*, nec vero altera ſcriptura ſine *P*, eſt mala aut damnanda. Etiam in aliis olim *P* nonnulli adiecerunt, vt *temptare*, pro *tentare*, quod vero parcius approbatum fuit perinde, vt quidam M ante digamma mutarunt, QVANVIS ſcribentes, Grut. pag. 408. 658. num. 10. ſine applauſu eruditorum.

Q littera Latina eſt: an neceſſaria, nonnulli dubitarunt, quod per *K* vel *C* ſuppleri poſſit, vt quum *cocus* ſcribitur, & *cotidie*; ac ipſum *quum* in *cum* mutatur. Vide Velium Longum, vetuſtum grammaticum, pag. 2218. Nihilominus receptum Q antiquitus fuit, nec facile mouebitur loco, quem poſſedit. Habet autem cum antecedente & cum ſubſequente littera controverſias. Aiunt mutare præcedens *n* & *d* in *c*, videlicet in *ecquid* & *quicquid*, & ſimilibus. Prius ſi ex *en* eſt, vt grammatici volunt, mutatio facta eſt; nulla autem, ſi ex *ecce*: poſterius magis dubitatur. Marius Victorinus pag. 2460. *Quicquam, Quicquid, & Quocquod, prima ſyllaba quoties habuerit D, id vos præcidite, & ſuperponite C*. Quum vero *Quocquod* illud horridum ſit cultis auribus, *Quodquod* ſuaue & iucundum; cadit, quod vulgo fuit poſitum, non poſſe *D* ante Q Latine pronuntiari.

Immo Manutius ex Interamnate marmore illud Q V I D Q V I D, de quo maxime dubitatum fuit; & ex Mediceo Virgilio approbauit: & in Gruteri inſcriptionibus Q V I D Q V I D pag. 411. num. 3. & pag. 691. n. 8. reperitur. Inuenio tamen etiam Q V I C Q V I D pag. 203. in lege agraria, ſi cum fide & curate illa tranſcripta eſt.

M etiam littera prohibetur a multis, ne proxime ante Q conſtituatur: qui iccirco ſcribunt *quicunque*, *vbicunque*, *vtrunque*, *vtrinque*, & ſimilia. Beda Orthogr. pag. 2344. Q V A N Q V A M *prior ſyllaba* N *habere debet*, *non M*. Ridicule Cledonius pag. 1932. diſtinguit, & *quanquam* coniunctionem dicit: *quamquam* pronomen. Si enim pronomen non offendit Latinas aures, cur horrent eæ coniunctionem, quæ vox eadem, ſuamque notionem ex pronomine ducit? Placet auribus *namque*, *idemque*; *in vtramque partem*, quod ſic etiam veteri lapide, Grut. pag. 207. legitur: non, *nanque*, *idenque*, *vtranque*; & in Caiano cenotaphio V N I V E R S O R V M Q V E, E O D E M Q V E; in Ouidii verſu *cælumque videre iuſſit*: num dicemus vero *eodenque*, *cælunque*? ſicut ingrate legitur ex ſæculo Antoninorum inſcriptione pag. 408. Q V E N Q V E. Nihil ergo obſtat, quo minus *quicumque*, *plerumque*, *vtrumque*, *vtrimque*, *& tamquam*, *quamquam* recte ac ordine ſcribamus. In vetuſtis tabulis Grut. pag. 203. & 512. Q V E I C O M Q V E, ἀρχαϊκῶς: clare in Caiano cenotaphio, & Romano lapide apud Spon. Miſc. pag. 219. Q V I C V M Q V E. Virgilius, ex antiquis codd. correctus, Æneid. II. v. 61.

-- -- in vtrumque paratus:

& lib. VII. verſ. 566.

Vrguet vtrimque latus nemoris.

Quod vero Q veteres pronuntiabant vt *K*, ſcribebant etiam P E Q V D E S Grut. pag. 202. P E R-

SE-

SEQVTIO pag. 206. PEQVNIA pag. 507. 509. 628. MEQVM p. 817. Deinde V, neceſſarium quaſi, addiderunt inter Q & quamcumque vocalem inſequentem, vt *quis*, *quando*, *quo*: quæ interueniens V littera vocalis ſit an conſona, grammaticorum quæſtio eſt. Velio Longo conſona eſt p. 2223. quia, ſi vocalis eſſet, *quis* non eſſet breue, quum duæ vocales in vna ſyllaba productionem inferant. Contra, ſi conſonans, prima in *equus* longa foret poſitionis lege. Vides difficultatem, quam elabi forſan licet, ſi nec conſonam nec vocalem per ſe dicamus eſſe, ſed litteræ Q facilioris pronuntiationis cauſſa adiectam. Agnoſcit Velius, ſufficere *V* vnum auribus in *equs*; rationem autem exigere duo, quia in obliquis caſibus vocalis mutetur: quo nihil probat, vti ex *cocus*, *coquus* manifeſtum eſt.

Tandem *X* Latinum Romani olim cum *S* adiuncto ſcripſerunt. Gruterus in vetuſtis tabulis & fragmentis pag. 184. MAXSVMVS: p. 205. PROXSVMVS: p. 204. DIXSERVNT: p. 804. VIXSIT: p. 640. VXSOR. Et cenotaph. L. Cæſ. DEFIXSO. Poſtea *S* neglectum eſt, quum *X* per ſe *CS* valeat: quod vero grammatici longius, quam decebat, ad verba etiam cum *EX* compoſita, quorum prima *S* eſt, pertraxerunt, illud *S*, tamquam ſuperfluum, abiicientes, v. g. *expecto*, *exiſto*, *expiro*, *exequor*, *extruo*, *exulto*, *exilium*. Sed Quintilianus etiam, ſæpe dicto loco, adnotavit, *exſpecto* ſcribendum eſſe, vt ab altero, quod a *pecto* eſt, diſtinguatur. Nec tantum diſcriminis cauſſa *S* ſeruandum eſt, ſed ex vſu etiam meliorum temporum. Manutius enim ex veteri lapide probauit *exſtare* ſeu *exſtitit*: & ex aliis *exſtruxit*, *exſtructum*, *exſoluimus*: ex Carpenſi ſeu Mediceo Virgilio *exſaturata*, *exſudare*, *exſuperare*: & ad horum rationem componit *exſcribere*, *exſilire*, *exſulare*, *exſurgere*. Cæſellius

pag.

pag. 2315. EXSPECTO *S litteram neceſſario retinet*. *Item* EXSCREO *cum S*, *a ſcreare fuit ſi ſine S*, *a creare*. EXSILIVM *quoque cum S ſcribi debet*: ---- *ſimiliter* EXSCVLPO & EXSISTO *per S*: --- EXSEQVIAE *S habent*. Terentius Scaurus p. 2258. quum queſtus eſſet, detractione *ſcribendi rationem corrumpi*; ſubdit exempla, *exulet*, *expectatus*, quæ *adiecta S littera debeant ſcribi*; *quoniam abiecta prapoſitione ſaluum eſſe illis* (ab S incipientibus) *initium debeat*. Adde Priſcian. lib. 2. pag. 571.

MVTATIO PRAEPOSITIONVM IN COMPOSITIONE.

Compoſitio verborum fit per præpoſitiones, quæ partim integræ manent, partim mutantur poſtrema littera, quæ ſe primæ verbi, quocum componantur, accommodat. *A*, *Ab*, *Abs*, ejuſdem notionis, diſtinguuntur compoſitione. *A* hæret incipientibus a *M*, vt *amolior*, *amoveo*: *AB* pleriſque ſeruit tam conſonantibus, quam vocalibus, vt *abeo*, *abire*, *abortus*, *abutor*, *abdo*, *abduco*, *abiicio*, *abiuro*, *ablego*, *abnocto*, *abnormis*, *abnuo*, *abripio*, *abrogo*, *abrumpo*, *abſimilis*, *abſoluo*, *abſumo*: ſed *Abſum* in præterito variat *afuit*, quod tamquam in MSS. crebrum, doctioribus placet; & *abfuit*, in aliis quoque codicibus repertum. Conſule Nic. Heinſium ad Prudentii Eulaliam v. 125. & Io. Andr. Boſium ad Corn. Nepotis Ageſilaum cap. v. Ante *F* mutatur *B* in *V*, in *aufero* & *aufugio*. ABS incipientibus a *C* & *T* præponitur, vt *abſcedo*, *abſcondo*, *abſtineo*, *abſtraho*, *abſterreo*.

AD mutationibus variis & ſæpe dubiis ſubiicitur. Cedit ante *C* conſenſu omnium, Dicimus enim *accedo*,

do, *accendo*, *accipio*. Eſt quidem ADCENSVS in Auximate inſcriptione apud Grut. pag. 68. num. 3. ſed non vetuſtiſſima, quod vox *communicipes*, quam habet, euincit: alibi vero ACCENS pag. 460. n. 13. & ACCENSVS pag. 586. num. 6.

Ante *D* manet, vt *addo*, *adduco*.

Ante *F* res dubia eſt præpoſitionis *AD*. Manutius in *Aggero*, cenſet etiam *Aſſicio*, *aſſinis* ſcribendum eſſe *ob pronuntiandi ſuauitatem*. Priſcianus lib. 2. pag. 569. *F ſequente*, *rationabilius in eam D conuerti*, *vt Aſſectus*. Contra Agrœcius p. 2273. *AD corrumpitur*, *quando eam muta ſequitur: integra permanet*, *quando ſemiuocalis*, *vt eſt adficit*, *adripit*. Et Cæſellius pag. 2318. *Sonat D littera & adſcribitur*, *quum F conſonanti adiuncta eſt*, *vt adfluo*, *adfuturam*, *adfero*. Quod inſcriptionum exempla confirmant, *adfinis*. Grut. 494. Spon. p. 52: *adfectus* Grut. 494. n. 4: *adflictus* ibidem: *adfuerunt* p. 117. 118. 121: ex poſteriore æuo ſæpe ADFECTIO p. 459. 4. p. 752. 2. p. 844. 7: in raris eſt AFFLICTVS p. 686. AFFECTIO p. 807. 12.

AD ante *G* grammatici cenſent mutari, *aggero*, *aggredior* ſcribentes. Agrœcius p. 2273. *Attollit*, *aggerat ſcribendum eſt*. In compoſitione enim *AD corrumpitur*, *quando eam muta ſequitur*. Caſſiodorus pag. 2319. ex Priſciano: *Aggero*, *per G ſcribendum*, *& aggregatus; non per D*. Sed nihil diſſonum eſt, ſi etiam ad mutam maneat, & vix alia, quam euphoniæ ratio hic adferri poteſt. At Feſtus etiam *adgreſſus* ſcripſit, & in iuris Romani codice *adgreſſores*: in Virgilio ex MSS. correcto, *adgredior*, *adgreditur*: in eodem quidem eſt Aeneid. IV. 197. *aggerat iras*; & lib. III. 63. *aggeritur*: id vero euphoniæ dandum eſt, quia horrent aures *adger*, quod ab *aggerendo* eſt, maluntque audire *agger*, id eſt terra aggeſta. Inſcriptio ſub Elagabalo pag. 163. 8.

AG-

AGGERIBVS MARINI OPERIS.

AD ante *L* ambiguæ ſortis eſt. Nunc enim integrum ſeruatur, nunc patitur immutationem; & vtrumque meliore æuo. Inſcriptione ſub Auguſti imperio facta (Grut. pag. 107.) legitur ALLEVARVNT: & ne errorem deſcribentis putes, in ipſo Caii cenotaphio Piſis ſcriptum cernitur ALLATVS NVNTIVS: & Traiani tempore, ALLECTVS *inter prætorios*: & Spon. Miſc. p. 57. ALLECTI IN ORDIN. DECVRION. Contra ſub Veſpaſiano Grut. pag. 453. ADLEVAVIT *annonam*: ſub Seuero pag. 163. 8. ADLVENTIBVS *maris fluctibus* (ſic Spon. p. 270. emendauit: Gruterus enim *maris adluentis fluctibus*) & Varro *adlectus* lib. v. quod & ſæpe in Grut. inſcriptionibus, & Sponii pag. 184. ex Antoninorum æuo; & vetuſtiori ADLEGANTVR, pag. 52. Pondus addit toties in nummis laudata *adlocutio*, nec iis tantum poſterioribus, ſed Caligulæ etiam, Neronis, Galbæ, Domitiani, Neruæ, quibus expreſſum eſt ADLOCVT. COH. item ADLOCVT. AVG. Vide Vaillantii Cæſares. *Adlicit* Pompeii Feſti eſt. Virgilius emendatior agmen claudat ex Aen. VII. verſ. 117.

Nec plura adludens.

Idem tamen Aeneid. I. verſ. 169. *vnco*

.. -- non alligat ancora morſu.

Quod & Varronis eſt lib. IV. de LL. p. 33. Dandum ſcilicet aliquid eſt auribus, nec mos aut regula vbique tenetur in eiuſdem generis vocibus, ſed prout vſus admiſit in ſingulis. Priſcianus lib. II. pag. 569. *Quæ ſit differentia euphoniæ, vt, quum eadem conſonans ſit ſequens, in aliis transferatur D, in aliis non; ſcire non poſſum*.

AD ante *M* manet, vt *admoneo*, *admiror*: nec placet Bedæ *ammoneo*, principio Orthographiæ.

Ante

Ante *N* variat. Grut. pag.684. ADNITENS. Virgilius Aen.I.148. *Triton adnixus*. Et lib. IV.613. *terris adnare*. Eodem lib. verſ. 128. *adnuit*: & lib. IX. v. 625. *adnue cœptis*. Ipſe Priſcianus, amantior euphoniæ & mutationis, dicto iam loco: *Frequenter tamen inuenimus, F, vel N, vel L, vel R, vel S ſequentibus, D ſcriptam: vt, adfatur, adludo, adrideo, adnitor, adſumo*. Et Agrœcius pag. 2271. *adnuntiatur*. In Romano iure frequens *adnotare*, *adnotatio*. Interim vulgus, *annuo*, *annoto*, *annitor*, *annuntio*. Quid vero de *agnoſco* & *agnatus*? an ſunt pro adnoſco, adnatus? In Pandectis *adgnoſco*, *adgnaſci*, *adgnatus*. quod Taciti libri etiam referunt, annal. III. cap. XLI. *adgnoſcendum ſe præbuiſſe*: & lib. IV. cap. XXXIV. *adgnita*. Fauet Priſcianus prædicto loco: *notus*, *gnotus antique*, *vnde ignotus*: *noſco*, *gnoſco*, *noui*, *gnoui*. Citant Cæcilium pro *gnoſco*. Quis vero præterea dici obſeruauit *gnoſco*, *gnovi*, *gnotus*, *gnaſcor*? nouimus *gnatus* per proſtheſin factum: cetera ignoramus. Et quod caſtigatiſſimi auctores, qui præpoſitiones diligentiſſime ſueuerunt conſeruare, Virgilius & Prudentius, a ſummis criticis ex vetuſtiſſimis membranis perpurgati, *agnoſco* tenent; nolumus in hoc verbo aliquid mutare. Hæc ita diſputari poſſunt: interim non nego Cæcilii *gnoſco* a Diomede prolatum:nec repugno Taciti ac iuris Romani libris.

A D ante *P* olim ſe accommodauit: poſtea, æuo medio, ſeruari cœpit. Gruterus ex vetuſta lege p. 628. VIATOR APPAREAT. Et veteri tabula pag. 291. 294. APPELLATVS. quod ſub Auguſto pag. 136. & ſub Nerone p. 117. ſic repetitum eſt. In Ancyrano monumento, itidem Auguſti æui, APPELLARI & APPELLAVERVNT: & in lapide Romano Grut. pag. 755. 4. APPLICARI. Poſteriores ſeruarunt *ad*. Grut. pag. 406. I. ſub Conſtantio & Iuliano AD-

PRO-

PROBANTE *ſenatu*. Et p. 647. 6. ADPENSVS, cum ſignis nouitatis. Pandectæ habent *adprobare*, *adponere*, *adpendere*: & contra, *apparere*, *appellare*. Taciti eſt *adpugnare*.

A D ante *Q* ſeruatur integrum in lapidibus. Grut. pag. 583. & Reineſ. p. 362. HIC ADQVIESCIT. Adde Reineſ. 692. Iterum Grut. p. 177. in arcu aquæ Marciæ: ADQVISITO *fonte*. Et ſub Traiano, Manut. pag. 28. ADQVIS. Et Aeneid. IV. v. 175.

-- -- *vireſque adquirit eundo*;

vbi Pierius: *Antiqua pane omnia exemplaria ſeruant præpoſitiones in compoſitis*. Vulgo ſcribunt *acquieſcere*, *acquirere*.

A D ante *R* etiam inconſtans eſt. Priſcianus lib. II. poſt initium: *Frequenter inuenimus adludo*, *adrideo*: ipſi vero *arrideo* placet. Agrœcius p. 2273. *Ad*, *præpoſitio*, *integra permanet*, *quando ſemiuocalis ſequitur*, *vt eſt Adficit*, *adripit*. In iure ciuili ſcriptum eſt *adrogare*, *adrogatio*: id quod etiam in Taciti libris, præſertim a Freinshemio & Theod. Ryckio ad membranas emendati, ſeruatur, *adroganti moderatione*, annal. I. cap. VIII. *adrogantiam oris*, lib. V. cap. III. Idem annali I. cap. LXXIV. & lib. III. cap. L. *adrepit*. in Heinſii caſtigato Prudentio Pſychom. ver. 443. *adridere* eſt: e contrario in Vincentii hymno 468. *arripit*; adu. Symmach. II. verſ. 1121. *arripe*: ſi quis alius vero codex præpoſitionum integritatem vindicat, is Prudentianus eſt. Et Virgilius ad membranas purgatus *arrepta tellure*, lib X. 298. & *arrepto tempore* lib. XI. 459. Idem Aen. I. v. 152. *arrectis auribus*: & lib. II. 205. *arrecta pectora*. Scilicet aurium cauſſa in nonnullis horum aliquid cedendum eſt.

AD ante *S* plerumque ſe conſeruat. *Adſignare* tritum in antiquis monumentis eſt: Gruteri vetuſta tabula

bula pag. 512. ADSIGNATVS ſæpe; & eadem ætate fragmentis pag. 203. 205. hoc verbum cum *D* ſcriptum eſt: item pag. 206. ADSIGNAVERVNT, & Ancyrano marmore, ſerie 3. ADSIGNAVI, ac nummo Traiani REGNA ADSIGNATA. Sic quoque ADSERIT & ADSERTOR eſt apud Grut. p. 341. & 603: & apud Reineſ. p. 608. ADSEDIT: p. 692. ADSEQVETVR: apud Spon. pag. 98. ADSISTENTIBVS. Lis autem eſt ſequente duplici conſonante. Priſcianus lib. 1. pag. 560. *Subtrahitur* (D) *quum ſequens ſyllaba ab S & alia conſonante incipit, vt aſpiro, aſpicio, aſcendo, aſto.* Et *Velius Longus* pag. 2225. *Eſt etiam vbi neceſſe eſt D litteram interire, nulla alia ſubſtituta, vt in eo, quod eſt aſpicio, aſcendo.* Quod ſuum vir ſummus facit Henricus Noris, vt illud ASPICIENDI in Lucii cenotaphio tueatur: cui conſenſionem aliorum lapidum adfert, Grut. p. 653. 8. EN ASPICE, & p. 655. 1. QVEI ASPICIS. Nec vero valida Priſciani ratio eſt, quia in aliis etiam minus dubitatis *S* cum alia conſonante ſubiicitur: *adſtare* Feſti eſt: *adſciſcere*, *adſcribere*, *adſpirare*, *adſtringere* Legum Romanarum: *adſtruere* Agrœcii: e quibus *adſciſcere*, *adſcribere* ipſe Manutius defendit, præpoſitionum integritatis alias parum ſtudioſus. Idem vero adfert pag. 15. ex Tiburtino lapide ASCENSV, quod contra *adſcendere* eſt. Tamen & ipſum *adſpicere*, *adſpectus* in emendatiſſimis Taciti libris retinetur, annali XI. cap. XXXII. & lib. XIV. cap. LI. ac alibi. Adi Dauſquium in *Adſciſco*, qui odioſum ſigmatiſmum vocat, ſi *D* ex talibus eiiciatur.

Tandem *AD* ante *T* quoque examinandum eſt. Manutius pag. 89. *Attuli, non Adtuli; & ſimilia, aurium ſenſu comprobante, nec diſſentiente Terentio Scauro, antiquo grammatico, veteribuſque libris.* Scauri hæc

hæc ratio eſt p. 2260. quia *ex ſemiuocalibus geminent præpoſitiones primam ſequentis verbi litteram, vt effatus; item in mutis, attulit per T, & attigit, & attinuit.* Contra Grut. pag. 16. ex vetuſto lapide Sertoriani belli ADTVLIT: & ex alio etiam ſatis vetere pag. 328. ADTRIBVENDAM: & de Cæſare Strabone inſcriptio apud Manutium p.28.ADTR. IVD. Feſti Pompeii ſunt *adteſtata*, *adtegrare*, *adtritum*, *adtubernalis*: Varronis lib. IV. & V. de LL. ſunt *adtributum*, *adtingat*, *adtentare*, quod in Legibus Romanis *adtemptare* ſcribitur. Nihilominus in vetuſto fragmine apud Grut. pag. 507. legitur ATTIGERET, id eſt *attigerit*: & p. 926. ex VIII. ludis ſæcularibus ATTIGIT: quæ ratio poſteriori æuo magis magiſque inualuit.

Hactenus de præpoſitione *AD* in compoſitione: ſequitur *CIRCVM*, quam grammatici aiunt *M* amittere, ſi vocalis ſequatur: vt *circuitus*. Sed ſæpius ſeruatur, & recte dico *circumago*, *circumactus*; *circumeo*, *circumequito*. Papirianus grammaticus apud Caſſiodorum p. 2294. diſtinxit inter ſcripturam & pronuntiationem. *Circum*, inquit, *præpoſitio*, *ſequentibus vocalibus*, *M litteram in enuntiatione amittit; in ſcriptura ſeruat*. Sed, vt vidimus, nec in enuntiatione ſemper, immo ne ſæpe quidem amittit. Pronuntiamus enim bene *circumago*, *circumegi*. Freinshemius Curtiano Indice vbique *m* ſeruandam cenſet, etiam in *circumire*, & *circumitus*, quod in vetuſtis ita libris eſſet. Sane Varro ſcripſit *circumitus*: & Suetonii Cæſare cap. XXV. in optimis codicibus eſt *circumitus*. Nolim vero *circuitus* abiicere, cuius forma, ſaltem in metro, neceſſaria videtur. Prudentius Symmach. I. verſ. 319.

-- -- terram breviorem
Dicere circuitu.

Nihil vero agunt, qui ante plures conſonantes *M* in *N* con-

N convertunt, ſcribentes *circundare*, *circunferre*, *circunſpicere*, *circunſtare*, *tandiu*, *nanque*, quia putida hæc & horrida: grata vero & ſuauia *circumdo*, *circumfero*, *circumſpicio*, *tamdiu*, *namque*.

CON præpoſitio ante vocalem *N* amittit, vt *coaquare*, *coeo*, *coire*, *coortus*; quo etiam adſpiratio referenda, *cohareo*: ante conſonantes plures, etiam ex vocalibus ortas ſeruatur integra, vt *concido*, *conduco*, *confero*, *congero*, *coniicio*, *connecto*, *conquiro*, *conſeruo*, *contero*, *conuoluo*: ante alias mutatur, ſed ante quaſdam plerumque; ſecus ante ceteras: Sunt autem hæ *B*, *L*, *M*, *P*, *R*, quibus videtur *N* accedere. Nam *cognatus* dico & *cognoſco*, num a *gnaſcor*, *gnoſco*, quæ ſupra dubitauimus? neque a *gnatus* i. e. filius, quia ſic *congnatus* ſcribendum eſſet, quod *N* ante *G* manet, vt *congero*, *congrego*, *congruo*. Reliquum ergo eſt, vt ſint ex *con* & *natus*; it. *con* & *noſco*, *N* mutato in *G*: in aliis enim ſeruatur, vt *connecto*, *connitor*, *connumero*.

Ante *B* mutatur in *M*, vt *combibo*, *comburo*. Codices autem Prudentii *combibit* Hamartig. 609. & alibi.

Ante *L* ſæpe manet in antiquis inſcriptionibus, quibus eſt CONLAPSVS VETVSTATE. Grut. pag. 7. 48. 51. 173. 187. & CONLATA STIPE, in ponte Tagi ex Traiani æuo: AERE CONLATO pag. 426. 447. 457. & apud Sponium ſæpe. Sic *conlibertus*, *conliberta* in lapidibus: item *conlocare*. Grut. pag. 40. n. 11. STATVAM CONLOC. Adde 460. n. 4. & Spon. pag. 294. Et CONLVDENTIBVS *digitis*, Grut. 647. 6. Sed hæc non ſunt perpetua, verum etiam ex Traiani ſæculo habemus STIPE COLLATA apud Reineſ. claſſ. 11. inſcr. XCIII. & Grut. p. 645. & 964. 984. 987. COLLIBERTVS, & pag. 58. n. 4. ſub Diocletiano, COLLAPSVM; etiam

pag. 100. n. 6: item COLLOCARE pag. 164. n. 6. in quibus euphoniæ & auribus ſeruitum eſt. Et *collegium* fere ſemper ſcriptum. Vide poſt Gruteri Inſcriptiones, totam ſect. 11. Sponii Miſcell. vbi innumera exempla exſtant.

Ante *M* tranſit *con* in ſimilem, vt *commercium*, *committo*, *commoueo*, *communio*. Qui ſecus pronuntiauerit, aures offendet. Ante P itidem in M plerumque vertitur, vt *comparo*, *compertus*, *compono*, *computo*. Auguſti æuo in Lucii Cæſaris cenotaphio ſcriptum COMPONANTVR: Grut. p. 474. 1. CONIVGI INCOMPARABILI. Tamen etiam, ſed poſteriori æuo, vt videtur, *conparare* ſcripſerunt pag. 814. 2. & 827. 2. & *conprobare* pag. 647. 6. & Aeneid. III. 474. *conpellare* in ſcriptis & cum cura editis.

Ante *R* in ſimilem mutat *con* ſuam extremam, vt *corrado*, *corripio*, *corrigo*, *corrumpo*. Grut. p. 128. 5. *adiculam vetuſtate* CORRVPTAM. Et prouinciarum ſeu Italiæ partium CORRECTORES paſſim laudantur in æui mediocriter poſterioris inſcriptionibus, nuſquam *conrectores*. Lucretii autem libris omnia ſecus ſe habent, *conradens*, *conrepta luce diei*, *conrepunt*, *conrident*, *conripuit*, *conruit*, *conruptus*. Vide Gifanii, Creechii & aliorum Indices. Sed pauci imitati ſunt: & Prudentii editor, Nic. Heinſius, preſſe MSS. ſecutus, & cetera integritati præpoſitionum fauens maxime, *corripit*, *corrupit*, *corruit*, *corrigens* legit. Par ratio eſt Plautini *conruſpari*, apud Feſtum; quod in obſoletis relinquitur: *conregnare* autem cadentis eſt Latinitatis. Vtique auribus aliquid, auctore Cicerone, dandum eſt, nec vltra exempla probatiora promiſcue omnia imitanda: quum nec illis quidem, quæ videntur probatiora, vbique inſiſtendum ſit.

Præpoſitiones E & EX partiuntur compoſitiones.

Dici-

Dicimus *ebibo*, *edico*, *educo*, *egero*, *elicio*, *emungo*, *emunio*, *erado*, *eripio:* cetera *ex* poſcunt, *excipio*, *excutio*, *excrucior*, *expono*, *explico*, *exquiro*, *exſequor*, *exſtruo*, *extrico*, *extrudo:* ante F in conſimilem conuertitur, *efficio*, *effugio*, *effio*, *effodio*, *effundo*. Archaiſmus enim eſt, quod in Roſtrata Duilii columna legitur EXFOCIONT, hoc eſt effugiunt. An *S* vero ſeruari poſt *X*, atque ſic etiam poſt *ex* poſſit, ſupra diſputauimus pagina 25. ſervandum omnino eſt, atque ſic EXSEQVI legimus in Lucii Cæſaris cenotaphio extremo: EXSTRVERE Grut. pag.61. n.3. & pag. 110. 7. EXSPECTAT. ET VOTIS p. 109. 3: & proprium nomen *Exſpectatus*, pag. 74.1: & EXSVLTANS Spon. p. 99. Miſc. Non igitur curamus, quod etiam *extrui* & *extructus* aliquando legitur Grut. p. 163. 164. 429. 669.

IN præpoſitio & negatio fatigat orthographiæ ſtudioſos. Ante litteras *C D F G H Q S T* ſalva res eſt: e. g. *incido*, *induco*, *infigo*, *ingero*, *inhæreo*, *inquiro*, *inſiſto*, *intingo:* dubia ante ceteras. In lapidibus enim INLATIS *coronis* Grut. 124. *arca* 424. 12. Varro IV. de LL. *inlicio:* Feſtus *inlicium*, *inliciator*, *inlitterata*. Inſcriptiones paſſim *inluſtris* & *inluſtrare:* Grut. pag. 234, Veſpaſiano dicata inſcriptione, INMVNITAS: & pag. 694. INMATVR. ac vet. tab. Grut. p. 106. 107. 506. INPERIVM: etiam *inpenſa* pag. 243. itidem ex Veſpaſiani æuo; & pag. 63. 343. *inpenſa:* & *inpendia* pag. 62. n. 8: *inperfectus* pag. 749: in vetuſto marmore Neapolitano p. 207. bis INPONITO: & pag. 823. INRITA VOTA: vt antiquos codices manuſcriptos taceam. Vnum addo Auguſti ætate ſcalptum exemplum in Caiano cenotaphio INPROVISAE *calamitatis:* ad quod ὁ πάνυ Henr. Noris pag. 487. ita commentatus eſt: *Apud antiquos quoties præpoſitio IN alteri voci, a P incipienti, iungebatur, neu-*

tiquam N litteram in M mutabat. Idem character in Virgilii codice Mediceo ſeruatur. Lib. 1. *Aeneid. v.* 599. INPROVISVS *ait: & lib.* 11. *v.* 182. INPROVISI *aderunt*. Addit ex ſupra citata tabula (Grut. p. 207.) *quod* INPROBARINT, INPROBVM *eſto*.

Præclara hæc omnia & ſpecioſa:quo minus tamen in vniuerſum adſentiar, alia monumenta, partim æque antiqua, mihi obſtant. Vbique in nummis & lapidibus eſt IMPERATOR, non *inperator:* in Ancyrano marmore *imperium*, *impenſe:* & eadem vox *impenſa* ſæpe apud Grut. pag. 105. 466. 487. & *impendium* pag. 55. 483. & ex Traiani imperio Spon. Miſc. pag. 181. DANTE IMPENſas: & in arcu aquæ Marciæ pag. 177. Grut. IMPEDITAM.

De *In* ante *L* tanto res eſt difficilior, quanto pauciora ſunt, quæ opponantur antiquitatis argumenta. Aldus Manutius ad iudicium aurium prouocat. *Illuſtris*, inquit, *malo*, *quam Inluſtris; vt Illectus*, *quam Inlectus; Illudo*, *quam Inludo*. *Cur enim non conſulatur auribus? quarum iudicium ſuperbiſſimum dixit Cicero in Oratore* (cap. XLIV.) *Vt omittam*, *Scaurum*, *veterem grammaticum*, *idem ſenſiſſe*. Scauri pag. 2260. de *mutatione nouiſſima littera præpoſitionum* hæc regula eſt: *Quoties a liquida littera ſequens cœperit*, *vertitur in eam*, *cui liquida præpoſita fuerit*.

INTER vbique manet ſaluum in compoſitione: in ſolo verbo *intelligo* cedit ſequenti liquidæ. Papirianus pag. 2294. *INTER præpoſitio in vna voce*, *ſequente L littera*, *R in eamdem mutat*, *vt Intelligo; ceteris ſequentibus integra manet*. Quod etiam in iis libris obſeruatur, quorum editoribus quam maxime mutatio præpoſitionum inuiſa eſt. Lucretius lib. VI. verſ. 16. *intellexit:* Prudentius ad Symmach. II. verſ. 1035. *non ſumma intelligit aure*. In ceteris,

ris, quamlibet ab *L* incipientibus, manet præpoſitio integra, vt *interlabi*, *interluceo*, *interlitus*.

O B præpoſitio facile, ac quaſi neceſſario, ante certas litteras mutatur. Ante *C*, vt *occido*, a *cado* & *cædo*; *occubo*, *occumbo*, *occurro*; ante *F*, vt *offendo*, *offero*, *officio*, *offundo*. Sed tamen ſuetum *obfuſco*, & *obfirmo*. Ante *G* ambigue, *obgannio* & *oggannio*; *oggero*. Ante P cedit ſimili, vt *oppono*, *opprimo*, *opprobrium*, *oppugno*. In ceteris manet, vt *obdo*, *obiicio*, *oblecto*, *obligo*, *obluctor*, *obmuteſco*, *obnitor*, *obnubo*, *obrepo*, *obruo*, *obſeruo*, *obſideo*, *obtineo*, *obuerto*. De mutatione *B* in *P* contra rationem facta, ſolius euphoniæ cauſſa, vt *opſequens*, *optinebit*, dictum ſupra eſt. Papirianus dicto loco: *OB præpoſitio interdum ponitur plena, vt eſt obire, oberrare: interdum in eamdem litteram tranſit, a qua ſequens ſermo incipit: vt offulſit, ommutuit, oppoſuit*. Cetera ſe bene habent: *ommutuit* autem ingratum & inauditum eſt.

P E R, vt plurimum manet: ante ſolam *L* capit detrimentum. Priſcianus lib. x. poſt initium: *In compoſitis quibuſdam inuenio R in L conuerti, vt Intelligo, pelliceo, pellego, pelluceo*. Verum eſt in *pellicio*, quod vbique ita ſcribitur. Feſtus: *Pellexit, in fraudem induxit*. Lucretius lib. vi. verſ. 999.

-- -- *quæ ferri pelliciat vim*:

non æque *pelluceo*, licet tritum *pellucidus* ſit. Ouidius lib. iv. Metamorph. 411. *perlucentibus alis*, etiam Heinſii editione. Seneca de Conſt. Sap. cap. xviii. *Hæc ipſe perlucidus, crepidatus, armillatus*. Mira ſane hæc res eſt. Omnes dicimus *perluit*, non *pelluit*: cur ergo non *perlucet*? Et alibi *per* ante *L* remanet; vt *perlabitur*, *perlatum eſt*. quis ferret *pellatum*? Grut. pag. 36. extr. P E R L A T V M *libens poſuit*. Minus gratum *pellego*. Terentius Scaurus quidem pag. 2260. *Pellego, omnes antiqui dixerunt, non perlegere. Vnde & apud Virgilium legendum*. (Aeneid. vi. 34.)

Pellegerent oculis. At Servius, & optimus quiſque liber *perlegerent*.

POST quoque aliquando mutatur. Cicero in Oratore cap. XLVII. *Pomeridianas quadrigas, quam poſtmeridianas, libentius dixerim*. Dum dicit *libentius*, fatetur quoſdam dixiſſe *poſtmeridianus*. Quintilianus lib. III. cap. I. *poſtmeridianis ſcholis*. Sic *MS*. Bodl. & Aldus, & vir exactiſſimus Vlricus Obrecht, qui caſtigatiſſimum ex MSS. Quintilianum in lucem edidit. An etiam in *polluceo* mutatum? ſecus Varroni videtur lib. V. de LL. & Voſſio in Etymol. qui aliunde deriuant. Eadem ratio in *polluo*. Vide idem Etymologicum. In ceteris manet, vt *poſtferre*, *poſtliminium*, *poſtponere*. At *porrigere* non a *poſt*, ſed a *porro* eſt ſecundum Feſtum in fragmento Farneſiano.

Tandem *SVB* ſuccedit, quæ etiam ſubiecta mutationi eſt ante *C*, *F*, *G*, *M*, *R*. Dicimus *ſuccedo*, *ſuccido*, *ſuccumbo*, *ſuccurro*, *ſuccutio*, quæ ſatis certa ſunt; aliter autem *ſuſcipio*, quod non a *ſub* eſt, ſed a *ſus* ſiue *ſuſum*: nec dubitatur de *F*, vt *ſufficio*, *ſuffigo*, *ſufflo*, *ſuffundo*. Exempla ante *G* ſunt *ſuggero*, *ſuggredior*: niſi quod veteri inſcriptione apud Grut. eſt *ſeuo lactante & SVBGVLARI*. De *M* lis maior eſt. Cicero prædicto loco: *Adiuncti verbi primam litteram præpoſitio commutauit, vt ſubegit*, SVMMVTAVIT, *ſuſtulit*. Feſtus, *ſummiſſior*. Gruterus iam dicto loco, *conſuetudine* SVMMOTA. Et Horatii II. oda XVI. *ſummouet lictor*. At lubentius dicit quiſque *ſubmerſus*, quam *ſummerſus*: cur non pariter etiam *ſubmouet*, *ſubmutat*, *ſubmittit*? Sunt hæc in aliis libris. Virg. ecl. I. *ſubmittite tauros*. Aeneid. I. verſ. 69. *ſubmerſas obrue puppes*: lib. VII. 226. *ſubmouet Oceano*. Ante *P* vertitur in illam, vt *ſuppetit*, *ſupplex*, *ſuppono*, *ſupporto*. Ante *R* dicunt *ſurrigo*, *ſurripio*, *ſurrogo*. Quod vero non

dicunt

dicunt *ſurruo*, ſed *ſubruo*; non *ſurrepo*, ſed *ſubrepo*: non *ſurrideo*, ſed *ſubrideo*; cur non pari modo *ſubripio*, *ſubrogo*? Grut. pag. 589. SVBREPTA *eſt oculis*. Prudentius Apotheoſ. 485. *ſubrepſit*: & Pſychom. 166. *ſubridens vultu*. Tacitus Annal. 1. cap. 11. *de pratore ſubrogando*. In ipſo *ſurrigo* præteritum *B* repetit, forte vt diſtinguatur a *ſurrexi*, quod a *ſurgo* eſt. Suetonius Vitell. c. XVII. *mucrone gladii ſubrecto*. Ante *T* non in *S* conuertitur, & *ſuſtineo*, *ſuſtento*, *ſuſtulit* ab *ſus* ſunt; ſed manet, vt *ſubtero*, *ſubticeo*, *ſubtraho*. Ante alias litteras etiam manet *B*, vt *ſubdo*, *ſubeo*, *ſublego*, *ſubnitor*, *ſubſequor*, *ſubſiſto*.

Denique *TRANS* & *TRA*, præpoſitio, in compoſitis etiam variat. Velius Longus pag. 2227. TRANS, *præpoſitio, non nullam habet obſeruationem. nam interdum plena eſt, vt* tranſtulit: *interdum minuitur, vt* traiicit, traduxit: *nec non ab aliis plene ponitur; ab aliis lenitatem intuentibus, minuitur, vt in eo, quod eſt* tranſmiſit *&* tramiſit: *alii* tranſpoſuit, *alii* trapoſuit. Cæſar vt plurimum ſervavit integram: nec modo cum aliis dixit *transferre*, *transfugere*, *tranſgredi*, *tranſmittere*, *tranſportare*, *tranſuerſus*, *tranſuehere*; verum etiam *tranſdo* ſæpiſſime, vt tamen etiam *trado* aliquando dicat, & *tranſduco*, *tranſiicio*. Donatus in principium Phormionis: *Tranſdere veteres ſonantius, quod nos lenius dicimus Tradere: vt Tralatum; nos translatum e contrario*. Eſt etiam veteri inſcriptione apud Manutium CORPORIBVS TRALATIS. Difficilior res in verbis ab *S* incipientibus, ſitne in ea compoſitione *trans* an *tran* ſcribendum, v. g. ante *ſcando*, *ſcribo*, *ſcindo*; an plura ſint, neſcio. Delicatius auditur *tranſcendo*, *tranſcribo*: nec vero video, quid obſtet, quo minus plene dicamus *transſcendo*, *transſcribo*. Ante vocales non mutatur, vt *tranſeo*, *tranſadigo*.

ADSPIRATIO H.

Adſpiratio ſiue *aſpiratio*, vt malunt alii ſcribere, de qua diſcrepantia ſupra dictum; eſt figura ſiue ſignum *H*, de quo quærunt grammatici, ſitne littera nec ne. Priſcianus ſub initium libri 1. *H*, *aſpirationis magis eſt nota, quam ſit littera*. Et interiectis nonnullis pag. 543. *H aſpirationis eſt nota, & nihil aliud habet littera, niſi figuram, & quod in uerſu ſcribitur inter alias litteras*. Et antiquior Priſciano grammaticus Diomedes lib. 2. pag. 419. *H conſonans muta, proprie continens aſpirationem, ſubiunctiua R liquida conſonantis, recepta vulgo in numerum mutarum; omnibus vocalibus praponitur, nulli ſubiungitur niſi conſonantibus*. Quod vero dixit, nulli vocali poſtponi, nec in *H* deſinere vocalem; videtur interiectionum exemplis *ah*, *vah* confutari. Sed præuidit hoc Priſcianus pag. 548. atque ita diluit: *Quaritur: cur in Vah, Ah poſt vocales ponatur aſpiratio; & dicimus, quod apocopa facta eſt extrema vocalis, cui praponebatur aſpiratio. nam perfecta Vaha, Aha ſunt*.

Quid ergo tandem *H?* Io. Iouianus Pontanus lib. 1. de Adſpiratione probauit, *H* nomen quidem & figuram litteræ habere: carere autem poteſtate, quia nihil ſit adſpiratio niſi *ſpiritus flatusue denſitas*, aut *craſſior quidam ſpiritus*; non aliter quam ſuſpirium & anhelitus. Sonum enim diſtinctum, qui ad vocem articulatam conferat, non facit: & nihilominus inter litteras adhuc tolerata eſt tam nomine quam figura.

Originem a Græcorum habet *ſpiritu*, quem *aſperum* appellant grammatici. Priſcianus lib. 1. p. 560. *H litteram non eſſe oſtendimus, ſed notam aſpirationis, quam Gracorum antiquiſſimi ſimiliter, vt Latini, in verſu ſcribebant, nunc autem diuiſerunt, & dexteram*

eius

eius partem ſupra litteram ponentes, pſilen notam habent, quam Remnius Palæmon exilem vocat; Grillius vero ad Virgilium de accentibus ſcribens, lenem nominat: ſiniſtram autem, contrariam illi, aſpirationis daſiam, quam Grillius flatilem vocat. Marmora, quam maxime etiam vetuſta ſunt, vt Arundelliana, & cetera maiuſculis litteris ſignata, nulla ſigna ſpirituum habent: poſteriores Græci, quum minor ſcriptura in vſum veniſſet, addiderunt illa cum accentibus; non autem ſemicircellorum modo, ſed cum angulis iis, quos H, ſectum in tranſuerſa lineola, vtrimque facit: quas figuras primi, qui Græcos libros typis expreſſere, vt maior Aldus Manutius & æquales, aliquamdiu retinuerunt.

Sed ſatis de quæſtione, quæ noſtri non propria eſt inſtituti: de vſu adſpirationis potius diſputandum eſt. Vocalibus præponi tam initio, quam media voce, ſupra, Diomede & Priſciano auctoribus, dictum fuit. Res manifeſta, vt, *habeo*, *hæreo*, *herba*, *honor*, *hoſpes*, ſimilia: & altero loco, *ahenum*, *mihi*, *nihil*, *traho*, *veho*, reliqua. Ex primo ordine ſunt quædam ambigua, *harena* & *arena*; *halucinor* & *alucinor*; *have* & *ave*; *hariolus* & *ariolus*; *haruſpex* & *aruſpex*; *holus* & *olus*; *hordeum* & *ordeum*: de quibus parte altera dicturi ſumus. Iam ſatis ſit quædam propria examinare.

HADRIANVS cum adſpiratione in nummis eſt, & plurimis inſcriptionibus: raro ADRIANVS, Grut. pag. 158. n. 5. & Reineſ. pag. 294. 304. 308. 311. ſi bona fide transſcriptum eſt.

Hammon, Iouis cognomen, & *Ammon* ſcribitur. Qui ab ἀμμὸς, *arena* ducunt, quod templum eius in Libiæ Marmaricæ arenis ſitum fuit, adſpirationem negligunt. At veteri inſcriptione Grut. pag. 21. n. 7. IOVI HAMMONI. Græci antiquis monumentis, quæ carent ſpiritu, nihil iuuant, vt nummo

mo Seguini eſt Θ E O c A M M Ω N: niſi quod libris Græcis Diodori, Pauſaniæ, Suidæ eſt Ἄμμων, *Ammon*, aut ita ab interpretibus lectum eſt. nam & illorum quidam ſine ſpirationis ſigno in prima maiore littera ſcripti ſunt.

Hannibal & *Annibal* in libris eſt; & Liuius ſemper *Annibal*. Manutius autem, *Hannibal cum adſpiratione ex libris antiquiſſimis Latinis: Græci enim adſpirationem reiecerunt*. Addit lapidis Florentini teſtimonium de Fabio Maximo HANNIBALEM COERCVIT. Si Punicum hoc nomen, vt putatur, ex חנן & כעל eſt, quaſi *gratioſus dominus*; omnino adſpiratio neceſſaria videtur.

Hebræus ſcribimus & *Ebræus*: plures tamen *Hebræus*, quia Græcis libris eſt Ἑβραῖος cum aſpero: nec vero certiſſimum, an in antiquiſſimis Græcorum codicibus ſpiritus fuerit expreſſe appoſitus. Origo עברי, quia ab ע incipit, littera incertæ pronuntiationis, nihil adfert, quoniam hanc litteram non vno modo a LXX. & Hieronymo in propriis expreſſam nouimus, nunc ſine ſpiritu per A vel E, vt *Amma*, *Almon*, *Aſem*, *Achron* ſiue *Ekron*: nunc per *G*, vt *Gomorra*, *Gai* (quod Vulgatus *Hai* reddit) *Gaza*, *Gebal*: ad quem modum æque *Gebræus*, quam *Hebræus* ſcribi poſſit. Vſui ſic potius, quam origini credendum eſt.

Etruſci, & *Hetruſci*; *Etruria*, & *Hetruria* ſcriptum eſt: ſed præſtat modus prior, qui ſine adſpiratione eſt, quem Manutius ex vetuſtis libris ac lapidibus Capitolinis approbauit. Et lapide in Volſienſi apud Gruterum pag. 385. PRAET. ETRVR. XV. POPVLOR. Et in Triumphorum tabula p. 296. DE ETRVSCEIS.

Oſtia, & *Hoſtia* colonia ad Tiberis oſtium. Vtrumque probatum, ſed prius magis. Nummus Neronis, AVGVSTI PORT. OST. S. C. &

alius

alius Traiani PORT. OST. & Grut. pag. 249.7. COLONIA OSTIA. At pag. 454. 10. IN COLONIA HOSTIENSI: & pag. 752. 2. VIA HOSTIENSI. Notandus igitur Cluuerius Ital. Antiq. III. cap. III. pag. 874. vbi *nugas grammaticorum* adſpirationem huius vocabuli dixit, & a *cunctis lapidibus* eam abeſſe adſeuerat.

Adſpirationis mediæ exemplum *Ahala* Romanum nomen: cui Chriſtianum *Iohannes* addimus; quod malimus ſine adſpiratione *Ioannes* ſcribi. Non enim ab Ebræis, ſed a Græcis vocabulum accepimus, qui vocalium adſpirationem in media voce ignorant; quod cum alia, tum maxime caſus & exitus *es* euincit, qui ex Græco Ἰωάννης eſt. Quod ſi ab Ebræis Latini haberent, non *Iohannes*, ſe *Iohanan* ex יוחנן ſcribendum eſſet. Præterea Chriſtiani non ex Veteri teſtamento id nomen, vbi rarum erat, ſed ex Nouo, quo celebratiſſimum eſt, in ſuum vſum adſumſerunt: hic autem Græca ſcriptura præualet, quæ ſine adſpiratione eſt: Græcam, vt dignum eſt, imitatur Latina.

Eſt deinde vſus adſpirationis in iis, quæ ſunt ex Græcia, per χ ſcripta in ſua patria, vt *Chremes*, *Chryſoſtomus*, *Acheron*, *Bacchus*: de quibus ſupra in litteris Græcis prædictum fuit. Interdum abiiciunt *h*, quamvis χ Græco reſpondeat: ſicut in nummis Semproniæ gentis (Vrſin. pag. 251. 253.) aliquoties GRACCVS legitur, quod alias *Gracchus* eſt, Plutarcho & aliis Græcis Γράκχος.

Præterea, quia Græci litteram ρ initialem ſpiritu ſignant, Latini etiam in Græcis vocibus *h* adiiciunt ad *R* in principio poſitum, vt *Rhodus*, *rhetor*: in media voce vero, quia Græci adſpirationem duplicato tantum ρ apponunt, non ſimplici; etiam Latini in vocabulis, ex Græcia petitis, gemellis *rr* adſpirationem *h* ſubiiciunt, vt *Pyrrhus*, *Tyrrhenum mare*.

Dixi,

Digitized by Google

Dixi, *in Græcis vocabulis*. nam, niſi manifeſta origo Græca eſt, non locum habet adſpiratio, vt *Arretium*, Etruriæ oppidum, *Arrius*, familiæ Romanæ nomen. Nec *Rhoma* licet ſcribere, quia quorumdam opinio, ab ῥώμη, *robur* nomen deriuantium, minime manifeſta aut probata eſt. Recte vero Bruttiorum vrbs ad Siculum fretum, quia a Græcis condita, & in magna Græcia, Italiæ parte, ſita, ſcribitur *Rhegium*: at oppidum Ciſpadanæ cum *Lepidi* cognomine, *Regium*.

Itaque in quæſtionem venit, an recte *Rhenus*, *Rhemi*, *Rhætia* ſcribatur, quod Celtica potius & Germanica hæc vocabula ſunt, quam Græca. Primum nomen, quod amnis eſt, conſtanter ſcribitur cum adſpiratione *Rhenus*. In fragmine arcus Druſo poſiti legit Meliſſus apud Grut. pag. 236. AD DIVORTIA RHENI. Nummis Neronis & Domitiani apud Triſtanum, RHENVS: quod neſcio cur ita factum ſit, niſi imitatione Græcorum, qui eius fluminis mentionem habuerunt.

Alterum nomen *Remorum* eſt, Galliæ Belgicæ populi, quod Cæſaris libris quidem *Rhemi* ſcribitur: Hadrianus autem Valeſius abiecit *H*, quod iure feciſſe nobis videtur, quia nullum huic genti cum Græcis fuit commercium. Incertum enim, an Cæſar adſpirationem addiderit, quæ poteſt etiam a grammaticis & deſcribentibus eſſe. Sed, inquis, & alia Galliæ, præter *Rhenum*, vt *Rhodanus*, adſpirari Latine. Longe autem diſpar huius eſt ratio. Rhodanus enim Prouinciam Romanam perlabitur, in qua erat Maſſilia, antiqua Græcorum ex Aſia colonia, quæ æque ſermonis patrii, vt morum ſtudiorumque Græcorum, fuit obſeruantiſſima: a qua Græca nomina ſunt, Nicæa & alia: atque ita etiam vicini amnis ſcriptura: *Remi* autem abhinc longiſſime remoti erant.

Ter-

Tertium eſt *Rhatia*, ſiue *Ratia*; & *Rhatorum* populi, ſiue *Ratorum*. Grut. pag. 376. 6. PROVINCIAI RAITIAI ET VINDELIC. & pag. 439. 8. de L. Munatio Planco, TRIVMP. EX RAETIS: & p. 524. 3. RAITORVM. Et Tiberii nummo apud Golz. COL. AVGVSTA RAETORVM. Omnia hæc ſine adſpiratione, & cum diphthongo; in quibus adquieſcerem, & H quod Rætorum vocabulo adhæſit, exterminarem, niſi vir ſummus Ezechiel Spanhemius de Vſu & Præſt. Numiſm. pag. 843. manum iniiceret, Hadriani nummum laudans, in quo RHETICVS EXERCITVS expreſſum ſit. Idem, an alius nummus ſit, ignoro, qui in Occonis & Mediobarbi theſauro p. 178. ſic deſcriptus eſt. EXERCITVS RAETICVS SC. Quapropter vereor, quia cetera cuncta diphthongum habent, non E ſimplex; ne fieri potuerit, vt a deſcriptore quodam vel typographo *Æ* in *H* mutaretur. Tutius ergo ſcribimus *Ræti*, *Rætia* diphthongo, ſine *H*, vt plurima antiquitatis monumenta habent.

Tandem etiam de adſpiratione compoſitorum diſpiciendum eſt, ſi Græca vox, ab adſpirata incipiens, ante ſe aliud nomen vel præpoſitionem accipiat: num v. gr. *exodus*, an *exhodus*; *Panormus*, an *Panhormus* ſcribendum ſit. Manutius Orthograph. pag. 305. *EXHODVS cum adſpiratione, quia componitur a Græco ὁδὸς. nec aliter libri veteres.* Scio in quibuſdam libris ita eſſe: an vero ratio id vrgeat, quæ data fuit, ſubdubito. Si enim Græci in media voce adſpirationem pronuntiarent, præter illam quæ poſt duplex ρ eſt; ſine dubio etiam illam ſcriberent cum ὅ, ἔξοδος: quod dum non fit, neque fieri debet apud Latinos. Alia enim ratio ſimplicis eſt, alia compoſiti.

Sic quoque ſe *Panormus* habet, Græce πάνορμος, no-

nomen vrbis in Sicilia ; quamquam Græcis etiam appellatiuum eſt. Scripſerunt multi per *H*. In nummo familiæ Domitiæ apud Vrſin. p. 101. PANHORMITANORVM. Gruterus pag. 174. num. 5. REIPVBLICAE PANHORMI. Et Sponius Miſc. E. A. p. 176. RESP. PANHORMIT. Atque ſic etiam in Plinii libris ſcriptum eſt. Nihilominus & ſine adſpiratione in aliis monumentis inuenimus. Harduinus nummum, a Paruta expoſitum, refert cum epigraphe PANORMITANORVM: & Reineſius claſſ. v. inſcr. 64. PANORMVS, quamquam non certum eſt, ſitne vrbis nomen ibi, an viri. Verba hæc ſunt: *M. Coilius M. L. Panormus agitator:* niſi *Panormitanus* forte legendum ſit; ejuſdem tamen originis eſt, & orthographiam vocabuli demonſtrat. Prioribus accederem, ſi πάνόρμος Græci ſcriberent, quemadmodum illorum ῤῥ adiecta *h* poſt *rr* Græcorum imitamur: quum vero id recuſetur a Græcis; non video, quæ ratio nos vrgeat ad adſpirandum in hoc vocabulo.

NVMERI ROMANI.

Quæ Romanis numerorum figuræ fuerint, orthographiæ eſt explicare. Paullus Manutius figuras omnes deducit ex I, *vnitate:* quæ ſi geminetur ita, vt inferiores partes coniungantur, fieri dicit ſignum V, *quinque:* hoc ſi inuerſum infra rectum ſtatuatur, fieri X, *decem:* ſi ſimplex I ſemel directe, iterum tranſuerſim componatur, fieri L, *quinquaginta*: cui ſi in ſumma parte aliam notam adieceris, vt fere in hoc ſ, fieri notam, quæ *centum* ſignificet, quod poſterior ætas mutauerit in C, angulatam figuram in ſemirotundam. *Quingenta* fecerunt addita ad tres notas quarta ſic ſI; vnde primum IↃ, poſt D effectum eſt. Sed priore figura ſI duplicata fecerunt *mille* ſſI,

vnde

vnde librariorum arbitrio variæ notæ, quæ mille ſignificarent, factæ ſunt, ∞, CIↃ, aliæ: ex CIↃ tandem M deriuatum, quo pro *mille* vulgus vtitur: quum olim nota fuerit, non littera: quemadmodum pro IↃ ſcribunt D, quod non nuſquam etiam in antiquis inſcriptionibus videmus, & ipſis Capitolinis lapidibus, vt Gruterus edidit, ſed neſcio qua fide & cura transſcriptis.

Nunc ſingulos numeros, in quibus memorabilis eſt veterum orthographia, & a noſtrorum temporum conſuetudine recedens, perluſtrabimus. *Quaternarius* in iis primus eſt, a cuius figura diſceſſum eſt hodie. nunc enim ſic IV. formamus; antiqui fere ſemper, etiam reſtitutores litterarum, a ducentis ac retro annis, vſque ad patrum memoriam aut auorum, ſimplicem figuram ita IIII quadruplicabant. Nummus familiæ Antoniæ apud Vrſin. pag. 29. LEG.IIII; Grut. pag. 30. n. 4. IIII KAL. APRIL. & ſic conſtanter alibi: etiam in compoſitis, XIIII. Grut. pag. 41. n. 7. & 688. 2; XXIIII pag. 688. 11. Raro admodum inuenitur XIV, pag. 689. 13; & XXIV p. 833. 1.

Senarius numerus eſt VI. ut VI. VIR, *ſeuir*, ſiue *ſexuir*, Gruter. pag. 481. 7. Sæpius ſcribitur IIIIII. VIR, Grut. pag. 45. 8, pag. 426. 4, pag. 428, 429. *Octo* potius VIII quam IIX. ſignantur in vetuſtis monumentis. Vide fragmenta Kalendarii apud Grut. pag. 134. *Nouem* plerumque ſic ſcribuntur VIIII. Grut. pag. 317. 6. ANN. VIIII. & 613. 12. VIXIT ANNIS IIII. M. VIIII. DIEBVS IIII, id eſt *menſibus nouem*.

Decem octo variant in figurarum compoſitione. Grut. p. 317. 6. D. XVIII id eſt. *diebus duodeuiginti*: quæ forma etiam pag. 190. 7. & 712. 11; & in Kalendariis antiquis eſt: in alio fragmento Kalendarii, quod ſupra nominauimus, eſt XIIX.: & in nummis Vrſini

Vrſini pag. 31. de Familiis, L E G. XIIX, & Grut. pag. 677. n. 5. ANNIS XIIX.

Vndeuiginti in nummo Vrſini iam laudato ſunt XIX. alibi XVIIII. ſicut & XXVIIII. hoc eſt *vndetriginta*, Grut. pag. 677. n. 5. & pag. 712. n. 11. XXXVIIII. *vndequadraginta*.

Ipſa *quadraginta* antiqui Romani XXXX. potius quam XL. ſignabant. Grut. p. 679. ANN. XXXX. & p. 344. 3. & 426. 3. A N N O S XXXXV.

Maiores numeri raro in lapidibus occurrunt; niſi in Faſtis magiſtratuum & triumphalibus tabulis. Ibi enim LXXX & XC. cernuntur: & ſupra centenarium etiam CD *quadringenta*, quæ aliis CCCC notantur. Duilii triumphus actus anno CDXCIII. Aemilii Paulli de Perſe, anno DXXCVI, vt Gruterus pag. 296. edidit. Maiores millenario numeros plerumque Latini ſuis vocabulis exſcribunt: ſi per notas, multiplicant millenarium, v. g. cIↃ cIↃ cIↃ *tria millia*: *μυριάδος* nota ccIↃↃ, *decem millia*, eiuſque dimidiata figura IↃↃ *quinque millia*: at cccIↃↃↃ *centum millia*. Quidam millenario præponunt cardinalem, ut III M. *tria millia*, quod in millibus paſſuum, (quorum notæ ſunt M. P.) frequens eſt in Plinii libris geographicis.

ACCENTVS ET APICES LATINORVM.

Accentus non pronuntiationis, ſed ſcriptos apices, quos vulgo etiam *accentus* appellant, intelligimus. Videmus enim ita pueros adſuefieri, vt ablatiuos caſus & aduerbia & alias voculas, conjunctiones præſertim, apicibus obliquis, aut in acutum angulum concreſcentibus, quaſi ſumma Latinitas in iis conſiſtat, imponant. Et quum multi in defendendis

dis iis ad antiquitatem prouocent, de antiquorum apicibus prius diſquirendum eſt; deinde de conſuetudine noſtrorum temporum.

Puerile olim adminiculum ad enuntiandum erat, longis ſyllabis apponere apicem, nec vero omnibus, ſed dubiis nonnullis, vt cum mora pronuntiarentur. Quintilianus lib. I. cap. VII. *Orthographia ars totam ſubtilitatem in dubiis habet: ut longis ſyllabis omnibus apponere apicem ineptiſſimum eſt, quia plurima natura ipſa verbi, quod ſcribitur, patent: ſed interim neceſſarium, quum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta eſt, facit, vt* MALVS, *vtrum arborem ſignificet, an hominem non bonum, apice diſtinguitur.* PALVS *aliud priore ſyllaba longa, aliud ſequenti, ſignificat. Et quum eadem littera nominatiuo caſu brevis, ablatiuo longa eſt, vtrum ſequamur, plerumque hac nota monendi ſumus.* Vides, quam diuerſa veteribus Romanis fuerit ratio virgularum vel apicum ab ea, quæ ſolet hodie in vulgari ſcriptura eſſe. pronuntiationi ſeruiebant, vt longa ſyllaba, ſi dubia pueris eſſet, hac nota diſtingueretur, ac vbique pronuntiatio iuſtum tempus & quantitatem ſyllabarum obſeruaret. Sed hæc pueris adhibebantur, quia de puerorum inſtitutione primo libro Quintilianus tractat: vltra quam ætatem conſuetudo hæc non proferebatur, adeo, vt Muretus in Lipſii Dialogo de Pronuntiatione cap. XIX. aperte ſic illum adloquatur: *Vagare mihi per hanc vrbem* (Romam) *& quære. multa monumenta in vtraque lingua, multi lapides: lapis ego ſi accentiuncularum iſtarum vnquam apex.* Sed hoc nimis adſeueranter. raræ enim admodum viſuntur nonnuſquam in lapidibus, quod Lipſius etiam illi approbavit.

Exemplis res agenda eſt. In vaſto infinitarum inſcriptionum opere, quas Gruterus collegit, vix duodecim, aut ſi plures, non tamen multas inve-

nies, quæ eiuſmodi notulas aliquas habeant. Dico *aliquas*. nec enim in ſingulis verbis ſunt, ſed in rarioribus, vna forte aut altera earum excepta, ſed inepta ſatis, vbi frequentiores apparent. Vt vero, quæ pueri addidicimus, tenacius inhærent, quam vt facile dediſcamus; & nobis vel nolentibus etiam ſubrepunt: ita quoque de his factum eſt apicibus, vt nonnullis, puto opificibus magis, quam eruditis, hæc conſuetudo adhæreſceret, vt interdum eiuſmodi ſigna atque notas præter neceſſitatem ſupra litteras collocarent. Lipſius exempla, quæ ipſe viderat, oſtendit PATRO'NO', CLE'ME'NS, CV'RIONE, cetera. Gruterus pag. 304. n. 9. lapidem ſic transſcripſit KA'LA'TO'RI *ſacerdotii Titiálium* FLA'VIA'LIVM STVDIO'SO'. Tres hic accentus vox *Kalatori* habet: duo ceteræ. Et pag. 453. *eórum opſidés accépit*: & mox, *triumphálibus ornámentis honóravit*. Nec ſemper longis ſyllabis adiecti hi apices ſunt, ſed aliquando etiam breuibus. Pag. 410. 8. FLA'VI'VS.- SIBI' ET' SV'IS: & p.411.1. TECTORV'M OPERV'M. In longa inſcriptione Piſani cenotaphii, quod Caio Cæſari dicatum fuit, vix quinque aut ſex voces habent apices, LV'CTV, CA'SV, MA'NIBVS, a *manes*: COLONIA' ablatiuus, IVSSV' in ultima; MAGISTRA'TVS accuſatiuus.

Sed eſto diſcretionis cauſſa apponi *manibus*: quid vero diſcernunt in *caſu*, *luctu*, *iuſſu*, ibi priori, hic poſteriori ſyllaba? nec opus erat in ceteris, vt caſus a primo diuerſos ſignarent, quia præpoſitiones adiectæ hoc præſtiterant, *in colonia*, *per magiſtratus*. Tantum itaque abeſt, vt Voſſii opinio Piſanis monumentis elidatur, quod vir magnus cenſuit; vt nec ibi rationes omnium reddi poſſe videamus. Sic autem doctiſſimus Voſſius lib. II. Artis Grammat. cap. VIII. *De Latinis accentibus ſatis apertum ex lapidibus*

anti-

antiquis. Quo enim vetuſtiores, eo magis accentiunculis carent. Lapides aliquot obiectant, vbi reperiantur: ſed imperite adeo ſculptos, vt ſatis liqueat, nullam eorum rationem haberi oportere.

Exemplum ſuppono, quod confirmet Voſſium non inepte iudicaſſe, ex Gruteri pag. 609. idque minoribus litteris, quia non ſufficiunt maiores, transſcribemus.

D. M.
M'. Aureliús Augg'. lib'. Secundús
ſe viuus fecit ſibí et' Caeliaé Marcellinaé
coniugí ſanctiſſimaé, et' Secundó fil
dulciſſimó q'. v'. a. viiii' m'. iii' d'. x'. et'.
libertis
libertabusqúe poſterisqúe eorum'
in' fr'. p. xv' is in agró péd. viiii et'
ante fronte
lat'. ped'. x'

Quid opus accentibus in cunctis prope vltimis, breuibus æque ac longis? quæ ratio excogitari poteſt? an tonus ſemper in eam ſyllabam reiiciendus? inepte. Sic tamen ineptire lapicidis & opificibus libuit. Gemina olim ratio pueris commendabat apices, vti Quintiliano doctore diſcimus, primum vt attollendam ſyllabam longam & ſonantius exprimendam notarent: deinde vt diſcernerent diuerſas eiſdem voces litteris. De hoc altero etiam Donatus, cap. de Tonis, pag. 1741. *In Latinis numquam acutus accentus in vltima ſyllaba poni poteſt, niſi diſcretionis cauſſa, vt in aduerbio* PONE; *ideo, ne verbum putetur imperatiui modi: neque circumflexus, niſi in ea particula, qua eſt* ERGO.

Quantum vero hæc abſunt a noſtrorum temporum conſuetudine, quibus non tono extollendo adhibentur, nec nominibus, aut verbis ſuperſcri-

buntur, ſed miſera tantum *aduerbia*, & quæ ſimilia aduerbiis videntur, accentu non acuto, ſed *graui* onerantur; *ablatiui* ſingulares *circumflexo*, vt vocant, qui vero ſimilior duplicato tecto eſt: credo, ne perpluant. Aiunt patroni, differentiæ cauſſa fieri, vt aduerbia a vocatiuis; ablatiui a datiuis diſtinguantur. Sed heus boni viri! ſi ſit differentiæ cauſſa, cur additis etiam, vbi nullum diſcrimen faciendum eſt, neque id vllum locum habet, vtpote in *benè*, *ſæpè*, *fermè*, *ritè*, *antè*, *atquè*, *tàm*, *tùm*, *tamèn*, *largitèr*? & cur aduerbia ab vocatiuis tanta religione diſcriminatis, qui caſus ſæpe in magnis libris ne ſemel quidem occurrit? quis puer tam ſtupidus eſt, vt ſi intelligit, quid vocatiui, quid ſint aduerbia, non poſſit ſtatim ex ſenſu & vſu diſcernere? Et ſi diſcretionis neceſſitatem vrgetis, cur non diſcernitis alia diſcernenda? Ablatiuum per *â* & *ô* vultis a datiuo diſtinguere: cur non idem facitis in plurali, vbi etiam hi caſus pares ſunt, & ambo in *is* vel *ibus* exeunt? Si poteſt, & debet ex lege veſtra pluralis ablatiuus diſtingui ſine appoſita notula, cur non idem caſus in ſingulari liberandus ab onere eſt? Dicite mihi, ſi poteſtis, diſparitatem. Innumera ſunt, quæ iisdem litteris ſcripta diuerſiſſima ſignificant, vbi nullam iubetis accentiunculam, quæ dirimat, apponi. Per claſſes quædam enarrabo:

I. Nomen & Verbum iisdem litteris.

Aequa, *aquas*; *alis*, *alam*; *amari*, *annuo*; *arce*, *arces*; *aue*; *cades*, *cadis*, *cadi*; *canis*, *canes*; *capite*, *capitis*; *certo*, *certas*, *certa*; *conſule*, *conſulis*; *cura*; *cuſtodi*, *cuſtodis*; *dicam*, *dicis*; *diſci*, *diſcis*; *domui*; *duci*, *duces*; *eas*, (verb. & pronom.) *facis*, *facies*; *ferri*, *fides*, *formido*; *geſto*, *geſtas*; *honeſta*, *honeſtas*, *honeſtatis*; *indicem*, *indices*; *iudicem*, *iudices*;

dices ; illuſtrem , illuſtres ; labores , laudes ; lege , leges , legis ; laudem , laudes ; malo , malis ; militare , militarem ; miſeris , nitor , nobilitas , noui ; nube , nubis ; nuntia , nuntio ; parcam , pateris , pellis , præſides ; probas , proba ; rapis ; rege , regis ; ſalis , ſalutare ; ſcribam , ſcribas ; ſedes , ſede ; ſerva , ſervo ; ſeveris (mutato accentu) , *ſitis , ſpecula ; ſuperas , trahis , velis , veniam , vidua , vigiles , vis ; vita , vites ; vulgare* , & permulta alia.

II. Nomen & Nomen iisdem litteris.

Auis , fœdus , fides , fretum , generi , libertas , malus , ius , mari , maribus , menſis , ouis , rei , ſolum , ſpecula (diminutiuum a *ſpes*, & editior locus), *tribus, veris , villis*.

III. Verbum & Verbum.

Creuit , excrevit , dico , edo , egerit , fundamus , luxit , eluxit , manet , promeretur , regere , cetera. Et quia verbis participia & gerundia cohærent, huc illorum quædam exempla addimus tam a verbis quam nominibus diſtinguenda : *demens , emenda , emendo , moratus , paſſus , ſerui*. Sic & *impletis , completis* participium & verbum ſunt.

IV. Accentu pronuntiationis diſtinguenda.

Cupido , iacere , imperito , liberet , nitere , enitere , indico , oblitus , olere , parere , patere , pendere , prædico , videris , reliqua.

Hæc omnia ſine apicibus diſcernuntur ſenſu & conſtructione : cur ſola aduerbia & ablatiuos , aut *quam* pronomen & aduerbium , *cum* præpoſitionem & coniunctionem , non poſſimus ſine iſtis ? Deſinant

ergo ſcholarum magiſtri pueros vexare, verberare, ſi hos apices, maioris propudia ætatis, & omnino dediſcendos, neglexerint: ad alia potius & meliora ſuos adſuefaciant, quorum numquam eos pœniteat. Non vetus is mos in aduerbiis eſt. Olim alia ratio rariorum fuit apicum, vt tradidimus: nec in manu exaratis libris ſic aduerbia prægrauantur: neque primi litterarum reſtitutores agnouerunt, quod in libris, quos ediderunt, perſpicimus. Aldus Manutius auus ſenſim apices admiſit: eiecit rurſus nepos eiuſdem nominis, Paulli filius: & doctiſſimus quiſque ſibi ſemper ab iis quam maxime temperauit. Hoc autem velim omnes de me ſentiant, nequaquam mihi conſtitutum eſſe, vllum hominem ſugillare aut contemnere. Scio enim eſſe viros graves ſummeque eruditos, qui conſuetudinem, a præceptoribus in pueritia hauſtam, adhuc ſequantur, quorum pace & ſalua exiſtimatione, quod res eſſe videatur, liceat mihi libere ac ingenue tradidiſſe.

SIGNA DISTINCTIONIS.

Priſci Romani maioribus litteris ſcribentes, verba ita continua ponebant, vt diſcerni vix poſſent, niſi punctis ſingula diſtinguerentur. Ex qua ratione in plerisque inſcriptionibus voces ſingulæ punctis ſingulis ſeparatæ viſuntur, præter finales verſuum, vbi veteres nullam diſtinctionis notam addiderunt. Ceſſante autem illa contiguæ ſcriptionis ratione, non opus eſt tanta multitudine punctorum: cuiuſmodi inſcriptiones, punctis deſtitutæ, apud Gruterum ſunt pag. 809. num. 2. & 11. & plures apud Sponium in Miſcell. Abruptæ autem voces ſiue breuiatæ omnino punctum requirunt, defectionis indicem.

Nec *puncta* tantum verbis interpoſuerunt, ſed alia quoque ſigna, ornatus cauſſa, ac pro lubitu artificum,

cum, qui lapides inſcripſerunt. Sunt enim inſcriptiones, quæ diſtinguuntur ſemicircellorum figuris, vt Gruter. pag. 339. 3. Q, RAPIDIO, Q, F, --- LVDI, CIRCEN, cetera. Aliquando figura *r* interiecta. Pag. 493. 5. PROV *r* AFRICAE *r* ET *r* V *r* S *r* IVDICANTI, reliqua. Etiam glandium forma ❦ interſtrata, vt ibidem num. 3. -- φ PROVINCIA ❦ PRAEF ❦ ALAE ❦ reliqua. Et pag. 591. n. 7. inſtar ⸸ loco punctorum eſt:

D ⸸ M ⸸
P ⸸ AELIO ⸸ VITALI
AVG ⸸ LIB ⸸ TABVL cetera.

Sed hæc rariora; vt plurimum punctis ſimplicibus interciſum propter vocum continuitatem: qua ceſſante, vt apud nos fit, illa quoque negliguntur.

Diacritica puncta grammaticis dicta, quæ diſſolutioni ſyllabæ aut diphthongi imponuntur, vt *ſoluït* triſyllabum, pro *ſoluit: suaſit*, & ſimilia; quam diæreſin ac dialyſin etiam appellant. Qui minore ſcriptionis forma diphthongos ae, oe diſtincte ſcribunt, quoties litteræ illæ ſeparatim legendæ ſunt, punctis diacriticis ſignificant, vt *aëris*, ἀέρος: nam *aeris* his eſt χαλκῦ. Qui tantum ex maiori ſcriptura Æ eiiciunt, quoties in principio periodi aut verſus id ponendum eſt, ſimpliciter ſcribunt *Aere*, χαλκῷ: ſi vero ἀέρι ſignificandum, *Aërë* vel *Aëri*. Duo puncta etiam litteræ *ï* imponuntur, quando conſona reſoluitur in vocalem & vox creſcit ſyllaba, vt *Caïus* triſyllabum.

Grammatici poſtea, quam deſiit Latinitas vulgaris eſſe, quæ olim ſimplicia erant, aut aliter diſpoſita, in eum ordinem redegerunt & formam, quæ adhuc hodie vſitata ſunt. Veterum diſtinctiones Erycius Puteanus in Facula cap. XI. ſeq. expoſuit: rem ipſam Seneca tangit epiſt. XXXX. *In Græcis*, in-

quit, *hanc licentiam tuleris: nos etiam quum ſcribimus, interpungere conſueuimus*. quæ Cicero lib. III. de Oratore cap. XLVI. *interpuncta verborum* vocat. Lipſius de notis poſt ſingula verba poſitis interpretatur. Maiores vero minoreſque in verſu & periodo diſtinctiones, ſaltem in puerorum vſum, ex loco & ſitu punctorum diſcriminabant. Diomedes lib. II. cap. de Diſcretione pag. 432. *Diſtinctio eſt, appoſito puncto, nota finiti ſenſus, vel pendentis mora, quod locis ponitur tribus:* SVMMO, *quum ſenſum terminat, & vocatur Finalis a nobis, a Græcis* τελεία: MEDIO, *quum reſpirandi ſpatium legenti dat, & dicitur Media:* IMO, *quum lectionis tenorem, adhuc aliud inlatura, ſuſpendit, & vocatur a Græcis* ὑποστιγμὴ, *a noſtris Subdiſtinctio*.

Hæc antiquiora poſteriores grammatici, vt dixímus, immutarunt, adhibitis ſignis aliis & loco alio, plurimum vero *imo* poſitis: quorum rationem interpungendi quum accurate Aldus Manutius P. F. expoſuerit, eius verba hic legiſſe, credo, non pœnitebit. *Minima*, inquit, *eſt diſtinctio auerſus ſemicirculus, qui hoc modo* (,) *deſignatur, quam alii Virgulam, alii Comma, nonnulli Semipunctum* (addo *inciſum*, ex Cic. Oratore c. LXII.) *appellant*.

Eadem nota ſi cum vnico puncto coniungatur, vt ſit hæc (;), *aliter vſurpatur. modo enim diſtinguit contraria nomina hoc modo*, publica, priuata; ſacra, profana; tua, aliena; *interdum etiam locum habet in iis locis, vbi ſententia ita variatur verbis, vt ſi ſemicirculum apponas, parum ſit; ſi gemina puncta, nimium*. (vnde etiam *Semicolon* vocari conſueuit.) *Inter omnes notas hanc, de qua nunc agimus, eſſe omnium difficillimam intelligo*. (Inepte ſemicolo hodie vtuntur typographi, quum *que* coniunctionem breviaturi *q;* q; componunt: qui rectius, & ad antiquum morem, ſimplex punctum ad *q*. adiicerent. Grut. pag. 591.

PO-

POSTERISQ. EORVM. Reineſius p. 675. FINISQ. ABORIGINE.)

Sequitur geminatio puncti: cuius ea vis eſt, vt quaſi medium locum obtineat inter punctum ſemicirculo iunctum, & vnicum punctum. Omnino autem vſurpatur, quum ſententia vel duas, vel plures habet partes, quæ ſuis ſingulæ verbis reguntur, per ſe conſiſtunt, abſolutaque ſunt: vt, quemadmodum ex integris membris fit integrum corpus, item ex integris partibus ſententia conſiſtat vniuerſa. (Duo puncta hæc vocamus *Colon*, quia κῶλα, integri membri in periodo, ſignum ſunt.)

Reſtat vnicum punctum, quo ſententia concluditur ac terminatur. nec difficilem cognitionem habet. quamquam, vbi conciſa ſententia eſt, & conciſa item altera ſubſequitur, gemino puncto ego quidem vtor libentius, quam vnico. vt in hoc exemplo: Hoſpitium mihi para: cras enim adero.

INTERROGANDI *nota quum ſibi locum poſtulet, verbum ipſum ſignificat. In dolore autem, & in admiratione, ſi quis vnico puncto, non interrogandi nota, vtetur, meo iudicio recte faciet. vt in hoc exemplo:* Quantas vtilitates humano generi philoſophia peperit. *Interdum, licet manifeſta interrogatio ſit, interrogandi tamen nota non vtimur, vt quum ſententia eo vſque producitur, vt illa interrogandi vis, quæ primis verbis agnoſcebatur, longiore paullatim ſpatio deminuta, euaneſcat.*

(Signum exclamandi (!) poſt exclamationes ponitur, vt O *tempora, o mores!* &, *Heu, me miſerum!*)

PARENTHESI *includi oportet ea, quæ nec ſententiæ partes ſunt, nec ab vllo aut antecedente aut ſubſequente verbo reguntur: nec, ſi abſint, detrimenti quidquam patitur ſententia.* Hactenus Manutius.

Diſtinctio etiam notetur inter () *parentheſes*, & [] *vncos*

vncos ſiue *vncinos*. Illarum vſum iam Manutius expoſuit: hi ſunt in textu notæ criticæ, quæ ſuſpectum verbum aut ſententiam ſignificant, quaſi a mala manu in auctoris textum, imperite ſæpe inepteque, intruſam. Etiam [ ] vtimur, quum noſtra verba alterius orationi interſerimus, aut aliud quidpiam ſeparamus.

MAIORES LITTERAE IN MINORE SCRIPTVRA.

Quod plerumque hodie vtimur minore ſcriptura, nec illa ita ſola, aut pura, vt non maiores etiam litteras admiſceamus; quæri poteſt, quando, quo loco, & quoties liceat maiuſculas admiſcere. Peccant enim aut inepte agunt, qui indifferenter, aut nimis crebro, initio vocum maiores adhibent. In maiori ſcriptura olim non opus hac quæſtione erat, quia vniformes erant litteræ, quibus propria, communia; prima, media; honorata, inhonora ſcribebantur. Poſtquam vero minuſcula illa & quaſi ſemibarbara ſcribendi ratio adſumta fuit; non tamen plane maioribus litteris abſtinuerunt, at principio maioris cuiuſdam ſenſus, ſeu tractationis, ita applicuere, vt prima littera primæ vocis ex iis maiuſcula eſſet: deinde nomina propria virorum feminarumque, & locorum, ab iis inchoabant: tandem eas principio ſingulorum in carmine verſuum quidam, poſt plures, ac fere omnes poſuerunt. Sic fere in manuſcriptis libris: ſic in olim excuſis eſt: noſtra autem ætate, aut paullo ante, adiecta *honoris*, vt aiunt, vocabula, imperator, rex, princeps, conſul, prætor, rector, tribunus, dux, magiſter, & his ſimilia: & ipſum vocabulum *dominus*, etiam quum poſſeſſorem ſonat, religioni ſibi ducunt aliter, ac *Dominus*, maiore initiali,

tiali, ſcribere, v. g. *agri Dominus*, *ædium Dominus*, quod ineptum eſt. Nolo cuiquam honorem detractum ſuum, quamlibet exiguum, qui ab vna littera eſt; recte tamen litteras adhiberi velim. In hiſtorico contextu ſcribo veteri more, *rex Darius*, *Scipio conſul*, cetera; ſi vero ſcribendum de iis eſt aut ad eos, quibuſcum verſamur, quos reveremur; poteſt aliquid multorum opinioni, aut ſuperſtitioni tribui, præſertim, ſi certi non ſumus, edoctos illos in antiqua ſcribendi ratione eſſe. Malim autem, ſi honor in eo præſtandus eſt, vocabula integra REX, PRINCEPS, cetera, maioribus litteris effingere, quam maiores minoribus commiſcere. Quod etiam de pronominibus notandum eſt, quæ in adlocutionibus hodie, vt cum primis in epiſtolis fit, *Tuus*, *Tibi*, *Te* ſcribuntur: id quod promiſcue non eſt adfectandum. Si ſummis viris ac principibus ſcribimus, detur aliquid conſuetudini, vtcumque recentiori: ſi mediocribus, malim veterem ſcribendi modum imitari. Vbi etiam honoris cauſſa maiores litteras pronominibus adhibere placet, præſtat integras iis voces exſcribere, quam diuerſa genera permiſcere: hoc eſt, TE, TIBI, TVA ſcribere, quam *Te*, *Tibi*, *Tua*.

An vero ſemper, finita periodo, & puncto intercisione facta, maiore littera periodus noua incipienda ſit, laudati Manutii ſententia definimus. *Poſt vnicum punctum*, inquit, *ſi ſequatur ſententia ſuperiori non diſſimilis, primum verbum littera minuſcula incipio: ſi vero diſſimilis, maiuſcula. Quod ſi non ſolum diſſimilis ſententia, ſed omnino diſſimile ſequatur argumentum, tunc ea, quæ ſequuntur, non ſolum vnico puncto & littera maiuſcula, ſed etiam aliquo interuallo ſeiungenda ſunt.*

DI-

DIVISIO IN FINE VERSVS.

Sæpe accidit, vt vocem vltimam verſus, quem vulgo lineam vocant, non capiat, vt propterea diuidenda ſit, & pars reiicienda in verſum inſequentem. Noſtri hodie ſignum diuiſionis-apponunt, tranſuerſam lineolam, quæ indicet ſequentia adnectenda in legendo eſſe: & quum ſcribunt, multi Teutonicæ ſcripturæ ſignum ≈ etiam Latinis adhibent; in antiquis monumentis nulla huius generis ſigna in diuidendo apparent, quia veteres nec poſt integram vocem, in fine incidebant. Sæpe etiam inſcite diuiſum in lapidibus eſt. v. g. Grut. pag. 40. n. 2. diphthongus AE dirimitur, PRA ſcripto in fine prioris verſus; EF. principio inſequentis, vt *præfectus* ſignificetur: & pag. 46. n.11. duplex eadem littera in principio verſus poſterioris, partem diviſi verbi tenentis, ſic poſita

REIP. ARU
CCITANAE

id quod opificum inſcitiæ, non vniuerſali conſuetudini, tribuendum eſt. Doctiores enim in his quoque induſtrii & curioſi erant. Quintilianus lib. 1. c. VII. *Eſt etiam in diuidendis verbis obſeruatio, mediam litteram conſonantem priori, an ſequenti ſyllabæ adiungas.* ARVSPEX *enim, quia pars eius poſterior a* ſpectando eſt, *S litteram tertia dabit;* ABSTEMIVS, *quia ex abſtinentia* temeti *compoſita vox eſt, prima relinquetur*. Ad originem ergo & deriuationem diuidentes ablegat, nec præuerbia compoſitorum licet dirimere, ſed diuidendum, ſi opus eſt, *ab-igo, ad-eo, ad-oro, os-tendo, dis-cutio, ſuſ-cipio, ſuſ-tineo, pæn-inſula, et-iam, neg-otium, proſ-odia, pot-*

pot-eſt, *vel-ut*, *prod-it* a prodeo; *pro-dit* a prodo, nam epentheſis *D* in compoſitis ad priorem partem pertinet, cui euphoniæ cauſſa adiicitur, vt *prod-eo*, *red-eo*, *red-amo*. Dubia ſunt *cognoſco*, *ignoſco*, *agnoſco*. Si enim a *gnoſco* Cæcilii ſunt, *g* ab *n* non poteſt diuelli. ſin a *noſco*, *g* ad mutatam præpoſitionem pertinet. Cicero ſane in Oratore c.XLVII. *ignotus* ab *in* & *notus*; & *ignauus* ab *in* & *nauus* deduxit. Ceterum ſi duæ conſonantes in medio concurrunt, diuiduntur tantum eæ, quæ ab initio verbi nequeunt pronuntiari; non autem, a quibus verba tam Græca quam Latina incipiunt. v. g. diuiduntur in *car-po*, *or-bis*, *ar-tis*, *cam-pus*, *mil-le*, *an-nus*, *an-te*, *vl-timus*: coniunctæ manent in *a-ctus*, *ca-ptus*, *a-mnis*, *o-mnis*, *la-pſus*, *le-ctus*, *pro-pter*, *ſchi-ſma*, *magi-ſter*, cetera. ab his enim incipiunt vocabula *Cteſiphon*, *Ptolemæus*, *Mnemon*, *pſallo*, *Smyrna*, *ſtare*. Si tres conſonantes in medio concurrunt, ratio eſt eadem, ideoque Cæſellius apud Caſſiodorum pag.2316. *plo-ſtrum*, *lu-ſtrant*, *campe-ſtre*, per ſyllabas diſiungi cenſet. At vero tam in Claudii oratione apud Grut.p.502. quam Lucii Cæſaris cenotaphio diuiditur *MAGIS-TRATVS*: vnde grammaticorum de tribus conſonantibus regulam non attigiſſe ætatem illam, ſæpe laudatus cenſet Noriſius.

NOTAE, SEV BREVIATA SCRIPTVRA.

De notis hic agere non eſt noſtri inſtituti, nec illæ tam ad orthographiam pertinent, quam ad lectionem, aliam grammaticæ artis partem. Tantum de paucis, noſtro æuo maxime tritis, aliquid adferemus. Vulgare, non autem antiquum, neque Latinum eſt, virorum propriis nominibus vocabulum

Do-

Dominus honoris cauſſa præmittere, quod hac nota DN. ſeu Dn plurimi ſolent ſcribere. At medio æuo D. N. puncto interpoſito, valebat *dominus noſter*, aut ſi plures, D. D. N. N. *domini noſtri*, & auguſtorum nominibus tantummodo præmittebatur, vti ex innumeris inſcriptionibus conſtat. Rectius plene ſcripſeris, ſi ſcribendum eſt; aut *D.* ſimpliciter ponas, vt aliæ gentes faciunt. Si times, ne cum *Doctoris* nota confundatur, veterum conſuetudini magis DOM. quam DN. accedet.

Deinde abrumpendi formula *& cetera*, contrahitur ſic *&c.* ſiue &c. Trita hodie forma, antiquis prorſus ignota: qui rem varie eloquuntur & circumſcribunt: nec non ipſum *cetera* aliquot membris recenſitis ſubdunt Lucretius lib. VI. verſ. 85. & Cicero Top. cap. VII. Vtrobique recentiores *& cetera* ediderunt, quod improbant Ob. Giſanius, Dan. Pareus, & Aug. Buchnerus: elegantius cenſentes *cetera* ſine coniunctione, quam *& cetera*. Hinc iudicari de nota hac augendo honori duplicata, &c. &c. ac triplicata &c. &c. &c. poteſt, quæ hodie ſingularis reuerentiæ ſignum habetur. Plene exſcribe, plene pronuntia, & intelliges quam parum apto ſenſu hæc fiat multiplicatio. Idem quod *cetera*, in abrumpendi vſu ſunt *reliqua*. Capitolinus in Gordiano cap. V. partem refert epiſtolæ imperatoris Alexandri ad ſenatum, qua recitata, abſciſſis ceteris, quæ ſequebantur, ſubiunxit, *& reliqua*.

PARS

PARS POSTERIOR,

QVAE EST

VOCVM SINGVLARIVM

ORTHOGRAPHIA.

A Præpoſitio ſine accentu, more antiquo: neque etiam accentu ab vllo alio diſcernitur.

ADFATIM & *affatim* ſcribitur: ſed qui præuerbium *ad* in ceteris ante F ſeruant, iis prius placet: cum quibus & nos ſentimus. Feſtus, *adfatim*: etiam Lipſius de Pronuntiat. cap. XXI. Agrœcius ab *adfatu* ducit: ſed repugnat breuis quantitas, a Naniano poeta defenſa apud Gell. lib. VII. cap. VII. quamquam is veram ejus rationem ignorauit. nam a *fatim* eſt, veteri voce, quæ ſonuit *abundanter*; vnde *fatiſco*, abundanter aperior: inde *adfatim* ſiue *affatim*. Sic Servius docet ad illud Virgilii Aen. I. verſ. 123.

-- -- *rimiſque fatiſcunt*.

ADOLESCENS per O auctoritate Feſti in *Suboles*, quia ab *oleſco*, id eſt *creſco*. Lapides quidam & libri *aduleſcens*. Spon. Miſc. pag. 129. e medio æuo inſcriptione ADVLESCENTIAE. Sed Manutius etiam ad lapides prouocat, qui O habeant.

ADSIDVVS & *Aſſiduus* pari ſtant auctoritate & vtraque magna. Cicero Top. cap. 2. *Locuples eſt aſſiduus, vt ait Aelius, appellatus ab are dando.* ære, id eſt *aſſe*. Gellius XVI. cap. X. *Aſſiduus in duodecim tabulis pro locuplete & facile facienti, dictus,*

aut

aut ab aſſibus, id eſt are dando, quum id tempora reipublicæ poſtularent: aut a muneris pro familiari copia faciendi aſſiduitate. Vtrumque explicat Soſipater lib. I. pag. 58. *Adſiduus quidam per D ſcribunt, quaſi ſit a ſedendo figuratum, ſed errant. Nam quum a Seruio Tullio populus in quinque claſſes eſſet diuiſus, vt tributum, prout quiſque poſſideret, inferret; ditiores, qui aſſes dabant, aſſidui dicti ſunt,* (quaſi qui aſſes duint:) *& quoniam ſoli in negotiis publicis frequentes aderant, eos qui frequentes aſſunt, aſſiduos ab aſſibus dixerunt.* Inſcriptio ſub Antoninis Grut. pag. 163. 8. ASSIDVIS FLVCTIBVS. Contra Feſtus: *Adſiduus dicitur, quia in ea re, quam frequenter agit, quaſi conſediſſe videatur.* hic ergo ab *adſidendo* ducit, vt a reſidendo *reſiduus*. Varro lib. VI. cap. V. *qui adeſt, adſiduus*. Ergo ab *adſum*. Atque his diſplicuit opinio de *aſſibus:* quæ aliquid fabulæ de Seruio habere videtur. Nec Cicero ex mente ſua, ſed Aelii locutus eſt: Gellius dubitanter *aut, aut*. Accedit, quod Romæ marmorea tabella legitur (Grut. 950. pag. 8.) ADSIDVE DEFLET. De pronuntiatione per *ſſ* minus dubitatur: ſcriptura fuit ambigua.

ADSVM dico, quia *S* ante ſe *ad* præpoſitionem ferre poſſe, ſupra probauimus. Nec Plautinus iocus Pœnulo a. I. ſc. 2. 67. quo dicenti *aſſum apud te eccum*, alius reſpondet, *ego elixus ſis volo*, nos mouet: nam plebeia pronuntiatio, non doctorum ſcriptura, ex eo probatur.

AEGAEVM mare, vtrimque diphthongo prima: quia Græce eſt τὸ Αἰγαῖον πέλαγος.

AEMILIVS Latino *I*, non Græco *Y*, in ſecunda, nummi & lapides. Vide Vrſin. pag. 11. & Grut. pag. 33. 36.

AERIVS, *Aëreus*. Tritum poſterius: MSS. & caſtigatiores libri *aerius*. Lucretius lib. I. verſ. 12.

Aëria

Aëria volucres. Et Virgilius Georg. III. verſ. 474.
-- -- *aerias Alpis & Norica ſi quis*
Caſtella in tumulis, cetera.

AETHERIVS, non *athereus*, Manutius ex Virgilii vetuſtiſſimo codice, quem a ſuo poſſeſſore ſæpe Carpenſem vocat.

AFRICA, *Africanus*, *Afer*, per *f* non *ph*: nummi & lapides: vt vt Græcis poſterioribus (nam veteribus Λιβύα) eſt Ἄφρος, Ἀφρική. Vide Pæanium, Eutropii metaphraſtam, lib. II. in bello Punico II.

AGNATVS, *AGNOSCO*. De his ſupra pag. 29. diſputauimus: & de ſimili verbo *cognoſco* pag. 33. Nondum dubitare deſino de *gnaſcor*, *gnaſco*, vnde ducunt illa, littera *d* præuerbii extruſa. Nam *agnomen* eſt *adnomen*, quod ita coniunctim ſcriptum Salmaſius Capitolino vindicauit in Vero cap. III: quemadmodum idem auctor eodemque principe cap. VII. in præſtantiſſimo Palatino cod. *adnoſceret* ſcripſit. Gloſſæ nomicæ: ἀδνάτος, ἀνέψιος, συγγενής.

AHENOBARBVS, non diphthongo *Aenobarbus*, nummi gentis Domitiæ, & lapides Capitolini. vide *Manut.* In Ancyrano, ſerie I, cum biuocali AHAENEIS PILIS.

ALAMANNIA & *Alemannia*: ſed prius in libris frequentius: at plures nummi ALEMANNIA, quod ideo præfert illuſtris Spanhemius pag. 750. Cum *A* in vno nummo aureo, quem Nic. Heinſius exponit ad Claudiani IV. conſ. Honor. v. 446. Inſcriptio Grut. pag. 160. titulos Valentiniani, Valentis & Gratiani refert: in ſingulorum cognomentis ALAMANN. Et pag. 159. 7. de Gratiano: GERMAN. MAX. ALAMANVS MAX. per A & ſimplex N.

ALLIA fluuius Romana clade nobilitatus.

Seruius ad illud Aeneid. vii. verſ. 717. *infauſtum interluit Allia nomen;* dicit nomen *Alia* eſſe, a poeta metri cauſſa duplicatam litteram. Iuuat Plutarchus in Camillo pag. 137. παρὰ τὸν Ἀλίαν ποταμόν. Hos duces ſequuntur Manutius, Sigonius, Dauſquius. At duplex L in aliis omnium libris Varronis, Ciceronis, Liuii, Taciti, Suetonii, Macrobii: neque credibile eſt, hos omnes potuiſſe corrumpi. Accedit incorruptum teſtimonium Caiani, quod Piſis eſt, cenotaphii, quo PRO ALLIENSI diem VIIII. K. MARTIAS, quo obierat Caius Cæſar, habendam eſſe decernitur.

ALEXANDREA, *Alexandria*, Græce Ἀλεξάνδρεια. Vrbium autem nomina proparoxytona, in εια exeuntia, dubium accentum apud Latinos habent, prout in *ea* vel *ia* cadunt. Quædam conſtantius E longum habent, vt *Laodicea*, *Heraclea*, *Apamea*, *Caſſandrea*: quædam plerumque per *ia* ſcribuntur, vt *Seleucia*, *Nicomedia*, *Philadelphia*, *Sebaſtia*: quædam ambigua, *Alexandria* & *Alexandrea*; *Antiochia* & *Antiochea*; *Cæſaria* & *Cæſarea*, cetera: quia ει nunc *I* nunc *E* pronuntiatur. Horatius lib. IIII. od. XIIII. *Alexandrea* ſcripſit, arrecta pænultima: in nummis Latinis autem ALEXANDRIA; vt etiam Plinius, & plerumque alii. *Antiochéa* in antiquis codd. Epiſtolarum Ciceronis; quod Fuluius Vrſinus ad lib. II. epiſt. X. (al. IX.) tuetur, etiam ex nummi epigraphe GENIO ANTIOCHEAE. Plurimis nummis eſt COL. CAESAREA, tam vtriuſque in Palæſtina, quam eius, quæ erat in Mauretania. Sic etiam de *Amaſeia*, *Antigoneia*, *Pharnaceia*, *Rapheia* iudicandum eſt.

ALVCINARI, ſine *H*, & *L* ſimplici, Feſtus, & Cloatius Verus apud Gellium lib. XVI. cap. XII. ſcribunt, quaſi *a luce aberrare*, vt Manutius

cum

cum Pantagatho interpretatur. Recentiores quidam malunt *allucinari*, ſiue *adlucinari*, quaſi offendere ad lucem, eiuſque claritate præſtringi. Sed malim cum Feſto facere & Cloatio. Veteres aliquando adſpirationem præfixerunt, vt idem Gellius lib. II. cap. III. refert: ſed addiderunt etiam (quæ ibi exempla coniungit) ad *honera*, *honuſtum*, quæ nemo imitatur.

AMOENVS per œ in lapidibus, quibus proprium *Amœnus* & *Amœna* ſunt. Grut. pag. 788. L. AMOENVS, & pag. 854. AELIA L. F. AMOENA. Addit Manutius vetuſtos codices Virgilii.

ANCORA ſine adſpiratione, quia eſt ἄγκυρα Græce. Seruius quidem ad Aeneid. I. verſ. 169. mirabundus: *Hoc nomen quum in Græco, vnde originem ducit, adſpirationem non habeat, in Latino adſpiratur: quod eſt contrarium. nam magis Græcorum eſt adſpiratio*. At Marius Victorinus pag. 2466. componit, vt paria in hoc genere, *corona*, *ancora*, *ſepulcrum*.

ANNVLVS, *anulus*. Qui altius videntur ſapere, ſcribunt *annulus*, vno *N*, Manutius, Lipſius, Scaliger ad Varronem: quia ſit ab *anus*, quod circulum & podicem, perinde vt δακτύλιος Græcis, ſignificet: quæ parum decora originatio eſt. Varro LL. lib. v. poſt initium: *Tempus a bruma ad brumam, dum ſol redit, vocatur annus: quod, vt paruuli circuli annuli, ſic magni dicebantur anni*. Vt autem *annus* N duplici ſcribitur, ita etiam *annulus* ὑποχοεςικόν. Mollius ſonat, fateor, *anulus*: inde forſan illa, quam Manutius vrget, *antiqua conſuetudo*, quæ in libris obſeruatur.

APVD. Quidam per *T* ſcribunt ad antiquitatem prouocantes. Eſt ſane in veteri lapide (Grut. pag. 443.) APVT NOS: & ex Hadriani ſæcu-

lo pag. 378. APVT MAXIMVM PRINC. tamen Auguſti ætate cenotaphio Lucii Cæſaris ſcriptum APVD EAM ARAM. Velius Longus pag. 2231. *Non dubitatur, quin* APVD *per D ſcribi debeat, quoniam nulla præpoſitio T littera finitur*. Hæc ergo conſuetudo obtinuit.

APPVLEIVS, *Apuleius*, viri nomen, frequentius duplicata littera, quam ſimplice, in inſcriptionibus apparet: quæ *Apulia* quidem, vnde eſt, *P* ſimplici; poetæ vero etiam geminato ſcriptum tenent.

ARCESSO, non *acceſſo*. Grammatici quidem inter vtrumque diſtinguunt, Soſipater lib. III. & Diomedes lib. I. quod illud ſit accuſare; hoc euocare. Sed nihil valet hæc diſtinctio. Eſt enim ab antiquo *arcio*, pro quo, vt Priſcianus lib. I. pag. 559. notat, *accio*, ab *ad* & *cio*, (*d* in *r* olim mutato) poſtea dixerunt: quod approbat Lipſius in Orthographia.

ARENA ſine *H*. Seruius ad illud Aeneid. I. verſ. 172.

-- -- potiuntur Troes arena;

Quæritur, inquit, *habeat, nec ne, nomen hoc adſpirationem. Et Varro ſic diffinit: Si ab ariditate dicitur, non habet; ſi ab hærendo, vt in fabricis videmus, habet. melior tamen eſt ſuperior etymologia*. Eadem Cariſius lib. I. pag. 80. ſed epicriſi, *gratius tamen cum adſpiratione*, diſſentit a Seruio Mauro. Manutius etiam *harena*, perſuaſus præterea vetuſta inſcriptione CALCE HARENATO.

ARRIVS familiæ Romanæ nomen, *R* gemino, in nummis & lapidibus: *Arius*, R ſimplici, nomen hæreſiarchæ, cuius media producta eſt, quia Græce ſcribitur Ἄρειος, vt *Darius* ex Δάρειος. Vnde & *Areus*, Quintilianus III. cap. I. ſcripſit.

AR-

ARTVS, anguſtus, non *arctus* placet eruditis. Sic Priſcianus ſcripſit & *artus* & *artare* verbum lib. VI; & Valer. Probus pag. 1474. *artus* anguſtus, & *artus* membra ſola flexione & caſu, non ſcriptura, diſcernit. Dicis, ab *arceo* eſſe vel *arcio*. Eſto: vt vero ex *farctus* fit *fartus*; ſic etiam *artus* ab *arctus*.

ASPORTO, quaſi *abſporto*, excluſo *B*, ſecundum Priſcianum lib. II. pag. 571. In aliis manet, vt *abſcedo*, *abſterreo*.

ATQVE coniunctio. In lapidibus ſæpe legitur *Adque*. Vide inſcriptiones Grut. & Sponii, etiam vetuſtos Virgilii codices. Mollius viſum *adque*, nec alienum ab originis ſignificatione. Nihilominus præualuit *atque*, & Auguſti æuo vtrumque in vſu erat. Cenotaphio enim Caii Cæſaris eſt ATQVE; Lucii ADQVE. Lapides plerique ſunt poſterioris æui: Gruterus tamen etiam vetuſtum indicat pag. 96. 7. in quo eſt PRO HOC ADQVE ALIEIS, Tandem id exoleuit, & *atque* vbiuis ſtabilitum.

ATTIVS poeta: & *Attius*, familiæ nomen diuerſæ ab *Acciis*: ut *Attius* augur apud Liuium. Sic Manutius ex libris & lapidibus.

AVCTOR, *auctoritas*, per CT. Soſipater Cariſius lib. I. pag. 30. *Auctor propterea dicitur, quod augeret & generaret.* Sic meliori ætate ſcriptum. Cenotaphio Caii Cæſaris: PVBLICA AVCTORITATE; & mox, AVCTORIBVSQVE IIS. Et oratione Claudii imperatoris apud Grut. pag. 502. HOC INTER AVCTORES DISCREPAT. Et nummus Commodi ex VIII. imperii anno, non AVTOR, vt Vaillant in Aeneis pag. 92. refert, ſed vt Occo & Mediobarbus pag. 254. AVTOR PIET. quod in alio eiuſdem anni nummo argenteo ipſe Vaillant

pag. 88. A V C T. P I E T. tranſcripſit. & Mediceo Virgilii codice lib. VI, v. 650.

— — & Troiæ Dardanus auctor.

Putida ergo *author*, *authoritas*, quia nullus hic locus eſt litteræ ϑ, *th*: tolerabiliora *autor*, *autoritas*, quia in Notis Valerii Probi, medio æuo grammatici, A V T. *vel* A V T R. *vel* A V C. explicatur *autoritas*.

B A C C A, *Baca*. Petrus Victorius auctor eſt, in Ciceronis vetuſtiſſimis libris *baca* uno *c* ſcriptum eſſe: quam ſcripturam Nic. Heinſius in Prudentii præfation. Pſychom. verſ. 33. vocat *veram orthographiam*, etiam in Prudentii vetuſtioribus libris obſeruatam. Nihilominus plerique *bacca* ſcribunt eduntque.

B A L I N E V M, contracte *Balneum*: vtrumque iuſtum & Latinum. Soſipater pag. 76. *Balneum veteres dixerunt ſiue balineum*: vtrumque etiam in lapidibus reperitur, vt Manutius probauit, & ex Gruteri indice Aedificiorum clarum eſt.

B A L L I S T A verius ſcribitur quam *Baliſta*, quia a βάλλειν. Gloſſa vetus: *καταπέλτης*, *balliſtra*, *balliſta*. nam illo æuo etiam *balliſtra* dixerunt. Inuenitur tamen etiam L vno ſcriptum. Spon. Miſc. pag. 66. C O L L E G. B A L I S T A R I O R.

B E L L V A, non *belua*, quia *bellum* Feſtus a *belluis* ducit; aut potius *bellua* a *bello* nomen trahit, hoc ex *duello*, vt Quintilianus tradit lib. I. cap. V.

B E N E V O L V S, *beneuolentia*. Lipſius contendit *beniuolus* ſcribendum eſſe, & id ſuadent etiam quidam grammatici veteres. Eutyches pag. 2152. *A Volo, vis, beniuolus, maliuolus, & maliſicus*. Sane & lapis, Grut. pag. 443. habet B E N I V O L E N T I A E, & alius pag. 651. B E N I V O L E N T I B V S. At quia in compoſitis aliis *bene* cum

cum E retinemus, *beneficium*, *benedico*; videtur omnino conſuetudo adhuc recepta contra paucorum diſſenſum retinenda eſſe.

BRACHIVM, uno *c*, quia ex Græco βραχίων. At Manutius auctoritate Carpenſis Virgilii *bracchia*: vt videatur *c* producendæ ſyllabæ adiecta eſſe, quia prima Græcæ vocis correpta eſt. Sed paucos imitatores habet: fere omnes *brachia* ſcribunt, producta quamuis prima ſit.

BRVNDISIVM, non *Brunduſium*, Italiæ oppidum & portus. Libri & lapides teſtes.

BVCCINA, *Bucina*. Prius vulgatum eſt, etiam Pompeii Feſti. Manutius autem tuetur poſterius ex Virgilio Carpenſi, & Iſidori Origin. XVIII. cap. IIII. qui *Bucina*, inquit, *dicta a voce*, *quaſi Vocina*. Non omnibus grata hæc etymologia: aliique a βυκάνη deriuant. Varro lib. V. cap. VII. extr. a vocis ſimilitudine, (id eſt, a ſono βοῦ *bu*) & *cano* deducit, quaſi *bu-cina*, *bu-cinator*, licet in libris, quos habemus, etiam Scaligeri, editum ſit *buccinator*.

CAECINA per æ & ſimplex n, non *Cecinna*; familiæ Romanæ nomen. Libri docent & lapides. Grut. p. 116. 5. C. CAECINA LARGVS.

CAECVS item per æ, non œ, oculis captus. Veteri tabula apud Grut. pag. 291. CENS. AP. CLAVDIVS C. F. AP. N. CAECVS. is de quo Liuius IX. cap. XXIX. Feſtus *cæcum vallum*, occultam munitionem, etiam diphthongo prima ſcripſit.

CAELEBS. Feſtus, *Cælibem dictum exiſtimant*, *quod dignam cælo vitam agat*. quæ licet non certa ſit derivatio; tamen veterem ſcribendi modum oſtendit. Ex veteri tabella Manutius in *dumtaxat*, & Gruterus pag. 574. 6. SI QVI CAELIBES ESSENT. In ſimili tamen tabellæ fragmento pag. 575. 1. legitur COELIBES, diphthongo

 alia:

alia: vt nec hæc ſcriptura damnanda ſit. Manutius autem facit cum priore.

CAELO, *cælare*, ſculpere, cum æ, libri veteres & lapides. Romano lapide, quem Manutius vidit, CAELATOR & CAELATVRA.

CAELVM per æ malunt eruditi, quam *cælum*. Aelius Gallus apud Varronem lib. IV. *cælum* dictum ita tradit, *quod eſt cælatum*. Sic etiam Iſidorus lib. XVIII. cap. IV. Gruterus pag. 50. 6. CAELOQVE: & p. 41. DIANAE CAELESTI. Et ſic pag. 54. *caeleſti Mercurio:* pag. 59. *Veneri caeleſti:* & de Seuero pag. 266. *caeleſti eius indulgentia*. Spon. pag. 93. *Bonae deae caeleſti*. Feſtus *cæleſtia auguria* ſcripſit: addit Manutius Virgilium Carpenſem. Nec vero vulgaris ſcriptura per œ deſtituta eſt rationibus, quia a κοῖλος, *cauus* deducit, quod probabile Varroni dicto loco videtur. Grut. pag. 115. *omnibus* COELESTIBVS *conſentientibus:* pag. 180. 3. AQVARVM COELESTIVM.

CAENVM pro limo Manutius per æ, quod ſic libri veteres & Virgilius Carpenſis. Vulgo *cœnum*, quaſi a κοινὸν *commune*, & *pollutum*, niſi ex ſacris noſtris ſignificatio altera petita eſt.

CAERIMONIA per æ & i Manutius ex lapide, Domitiano a Titi ſodalibus dicato, quo ille vocatur *conſeruator* CAERIMONIARVM *publicarum*. Diphthongus certa, quia a Cære, Etruriæ oppido, nomen, quo, vrbe a Gallis capta, Romanorum ſacra peruecta fuerant. *Inde*, ait Val. Maximus lib. I. cap. I. *inſtitutum eſt*, *ſacra cærimonias vocari*. Gruterus, qui eumdem lapidem transſcripſit pag. 270. *caremonia*, vocali ſecunda refert: ſed maior fides αὐτόπτου Manutii. Et Giſbertus Cuperus, vir ſummus, ineditam inſcriptionem hanc pro ſingulari beneuolentia communicauit nobiſcum: Q. FLAVIVS Q. F. SVC. HERCVLA-

NVS

NVS AVGVR MAGISTER CAERIMONIAR. SACR. FAC.

CAERVLEVS & *cærulus* diphthongo prima Gruter. pag. 176. *ex fontibus qui vocabantur* CAERVLEVS *&* *Curtius*: & mox, *aquas Curtiam* & CAERVLEAM *perductas a diuo Claudio*. Et Lucii Cæſaris cenotaphio INFVLIS CAERVLIS.

CAESAREA, *Cæſaria*: vide ſupra *Alexandrea*. Addo pauca: *Cæſarea* eſt ex Καισάρεια, quod in libris eſt, & in nummis variis apud Harduinum de Nummis antiq. Pop. & Vrb. pag. 110. ſeq. Græcis, Latinis legi ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ *&* CAESAREA. Tamen *Cæſaria* ex aliis nummis defendi quoque poteſt, apud eumdem de Num. Herodiadum pag. 7. inſcriptis, ΚΑΙΣΑΡΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ, ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ.

* A nomine *Cæſar* etiam *Cæſareus* in libris ſcribitur, vt *Cæſarea domus*, Ouid. 1. Triſt. 1. v. 70. *Cæſareum templum*, Prudent. 1. Symmach. verſ. 250: at fragmento apud Grut. pag. 41. CAESARIVS: & *Cæſarianus* apud ipſum Cæſarem de Bello ciuili ſæpe.

CAESPES, *Ceſpes*. Feſtus a *cædo*: *quaſi terra in modum lateris cæſa*. Itaque potior diphthongus eſt.

CAMENA. Plures cum E ſimplici ſcribunt, Varro, Feſtus, & Virgilius emendatioribus libris. Macrobius lib. 1. Somn. cap. 111. *Camenas quaſi Canenas a canendo dixerunt*. Seruius in Eclog. 111. v. 59. *Camenæ*, *Muſæ*, *quibus a cantu nomen eſt inditum*. Nec vero ſpernenda aliorum diphthongus œ, quæ viſitur in vetere inſcriptione (Spon. Recherch. pag. 269.) IMMORTALES CAMOENAS.

CARTHAGINIENSIS verius eſt, quam *Carthaginenſis*; quod ex Ennii verſu liquet, quem Ci-

Cicero pro Balbo cap. XXXII. citat,

Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis.

Et in columnæ Roſtratæ baſi COPIAS CARTACINIENSIS: & Grut. pag. 586. PROC. TRACTVS CARTHAGINIENSIS.

CARVS, dilectus, ſine H. de quo ſupra pag. 9. Innumera in cippis exempla ſuperlatiui CARISSIMVS. Vid. Grut. 418. 421. 426. cetera: & in nummo Balbini CARITAS MVTVA AVGG.

CAVSSA, *Cauſa*, vtroque modo. Illud, geminato ſibilo, ex vſu veterum. Capitolinis lapidibus ſæpe, REI GERVNDAE CAVSSA. Vid. Grut. pag. 290. ſeq. Et in aliis vetuſtis tabulis pag. 506. 509. PRAEVARICATIONIS CAVSSA. Et Tiberii ætate pag. 525. EX CAVSSA. Plura Manutius adfert, & etymologiam, quod quaſi *caviſſa* ſit, a *caveo*, in duas contracta voce ſyllabas, cuius ſententiæ etiam Scaurus meminit pag. 2257. quamquam ipſe S vno malit ſcribere. Neque enim deſunt probata exempla cum S ſimplici antiquis monumentis; oratione Claudii pag. 502: inſcriptione ex Samnitico bello pag. 298: marmore Ancyrano, atque alibi.

CETERI, *cetera*, ſine diphthongo lapides vetuſti. In tabula ænea perantiqua (Grut. pag. 628. ſeq.) CETEREI VIATORES: & Lege agraria apud eumdem p. 202. CETERORVM: nec id mutatum Auguſti ætate, vt vel ſolum Lucii Cæſaris cenotaphium documento eſt, quo eadem vox ter reperitur ſine diphthongo ſcripta; atque ita ſub Cæſaribus ſervatum fuit: nec aliter Virgilius Mediceus. Grammatici diphthongum inculcant, quia ſit ex καὶ & ἕτερος: ſed nugas agunt. ſic enim haberet copulandi vim, neque adhiberi poſſet, vbi locus non eſt copulæ: neque copula eidem præfigi, ne duplex

plex illa concurreret. v. g. Tiburtino lapide, E T C E T E R I S D I S; ſenſus eſſet *& & ceteris*, quod abſonum. Non autem prorſus reiicio *cætera* cum diphthongo, ſed compoſitionem *καὶ ἕτερα*. Scio enim raro veteres, immo rariſſime diphthongo vſos eſſe, vt Grut. pag. 801. n. 11. CAETERISQ. SVIS.

CHALCEDON libri: *Calchedon*: Καλχηδών. Omnes nummi. Vide quæ de hoc nomine in Notitia Aſiæ Antiquæ notauimus.

COELIVS, *Cœlia*, familiæ Romanæ nomina; cum œ in pleriſque monumentis. Vrſinus nummos familiæ Cœliæ pag. 79. ſic inſcriptos exhibet: C. COIL. item L. COIL. ἀρχαϊκῶς: & alios C. COEL. CALDVS. Grut. pag. 52. M. COELIO: & pag. 240. in baſi marmorea Veſpaſiani æuo M. COELIVS: & ſic alibi ſæpe. Raro per æ, vt pag. 300. in Capitolinis P. CAELIVS.

COENA per diphthongum œ, quia a κοινόν. Plutarchus Sympoſ. lib. VIII. probl. VI. τὸ δεῖπνόν φασι κοινὰ διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι. καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίςων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι, συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις. *Aiunt veſpertinas epulas Cœnam vocari quaſi communionem. ſeorſum enim prandebant priſci Romani; cœnabant cum amicis.* Et Iſidorus lib. XX. Orig. cap. 11. *Cœna vocatur a communione veſcentium. κοινὸν quippe Græci commune dicunt.* Dauſquius a lapide teſtimonium petit, ad Clitumnum reperto, IN PVBLICO COENARENT. Plures autem lapides, quos Aldus vidit, CENAM DED. habent: Feſtus, *Cæna*, diphthongo alia, ad quem modum Sponius pag. 292. in Neapolitano lapide CAENACVLVM legit. Adeo diſcrepant in hac voce lapides.

COEPI, *cœpiſſe*, *cœptus* per œ. Oratione Claudii pag. 502. Grut. COEPERVNT: & p. 443. COEPISSE: & pag. 669. COEPTO *flore*.

In

In Ancyrano autem marmore *opera* CAEPTA. *Incepi* autem ab *incipio* eſt: inde *cœptum* & *inceptum* diſtinguenda. Beda Orthogr. pag. 2332. Cepit, *per ſimplicem* e, *a capiendo:* Cœpit, *per diphthongum* œ, *de incipiendo:* Cœpta, *per diphthongum* œ: Incepta *per ſimplicem* e.

COMISSARI, *comiſſatio*, per *ſimplex m* & *i*. Feſtus *Comiſſatio a vicis; quos Græci κώμας dicunt*. Bene vocabulum ſcripſit: minus bene a *vicis* denominauit. Varro lib.VI. LL. cap. v. COMITER, *hilare, ac lubenter: cuius origo Græce κῶμος. inde Latina* COMISSATIO *dicta*. Sic quoque Donatus *comiſſator* ſcripſit in Adelph. act. v. ſc. II.

CONCIO per *C*, quia, vt Feſtus interpretatur, *Concio* eſt *conuentus, quaſi conuocatio*, a concire. Non ergo mouemur, quod in antiquis monumentis legitur CONTIO. Vide Grut. p. 506. 507.

CONDITIO & *CONDICIO*: prius ſequitur originem, quia a ſupino verbi *condo eſt*; vt *perditio* a *perditum*: poſterius eſt plerorumque lapidum & veterum librorum, & in his quoque Virgilii Carpenſis. Aldus ex hoc & ſaxis verba profert, quem audias. In Sponii autem Recherch. pag. 316. ex Romana inſcriptione refertur SVB HAC CONDITIONE.

CONSIDERO per *I*, *non Y*, quia Latinum eſt, non Græcum. Sic etiam *Deſidero*.

CONSVMMO, *conſummare*. Lipſius mauult *conſumare*, vno *m*, & ad lapides prouocat. Sane Ancyrano monumento legimus *baſilicam conſumatam:* at Manutius ex lapidibus bis *conſummauit*, & ſemel *conſummator*, & *conſummatus* enotauit, quod origo etiam poſcit, quia a *ſummus* vel *ſumma* eſt.

CONVICIVM, non *conuitium*, quia a *voce* eſt, quaſi *conuocium*. Feſtus: *Conuicium a vicis, in*

quibus

quibus prius habitatum eſt : vel immutata littera, quaſi conuocium. Et Vlpianus lege xv. de Iniuriis : *Quum in vnum plures voces conferuntur, conuicium appellatur, quaſi conuocium*. Quod etiam ex ſyllaba producta apparet. Ouid. XIII. Metam. 306.

Neue in me ſtolida conuicia fundere lingua.

COQVVS. Eutyches grammaticus lib. II. poſt initium *cocus* ſcripſit. *Verbo*, inquit, *coquo nomen adhaeret cocus*. Velius autem Longus ſub finem Orthographiæ hoc *nimium exile* cenſet. *nam ſicut*, inquit, *non eſt prima ſyllaba* (in coquus) *oneranda; ſic ſequens videtur explenda*. Oneratur autem prima per *Qu*. pro *C*. Beda Orthogr. pag. 2332. *Coquus, coqui, prima ſyllaba per C, ſecunda per Q ſcribenda eſt*.

CVNCTARI, *contari; Percunctari, percontari:* prius eſt Feſti in *Percunctatio*, quem Manutius ſequitur, etiam Carpenſis Virgilii auctoritate inductus: poſterius Verrii apud eumdem Feſtum; quocum Freinshemius facit Indice Curtiano in *cunctanter*. Rationem vterque dat; Feſtus, *quod is qui curioſe interrogat, per cuncta viſit*. Verrius, quod dictum *ex nautico vſu, qui conto pertentant cognoſcuntque aqua altitudinem*.

DALMATIA. In lapidibus & nummis ſæpius *Delmatia* per *E*: nec vero ſcriptura altera pœnitenda. Vide noſtram Notit. Orb. Antiqui pag. 614.

DELECTVS, *Dilectus* militum. Cicero lib. XII. epiſt. v. ad Caſſium: *Magnas Panſa copias ex dilectu Italia comparat*. Gebhardus ibi: *Dilectus ſemper ſcribendum eſt, quod ita praeunt* MSS. *& vetuſti libri*. Et Lambinus ibidem: *Iam* dilectu *legendum eſſe, non* delectu, *nemo eſt qui neſciat, indocilibus exceptis*. Adde lib. XI. ep. III. ſect. 4. Pompeius quoque Feſtus: *Dilectus militum, & is, qui ſignificatur amatus, a legendo dicti ſunt*. Aldus tamen noſter; *Delectus, contra libros aliquot veteres, mul-*

multo ſcripſerim libentius , *quam Dilectus* .

DELICIVM, *Delicia* , per *C*, a *delicatus* . Grut. pag. 646. DELICIVM: Manutius ex lapide Rom. DELICIAE.

DESIDERO, *Deſiderium* , per *I* Latinum . Vide ſupra *Conſidero* . Vetus lapis Romanus , Manutio teſte , DESIDERIO NATAE.

DISPICERE, *S* vno, quamuis a *dis* & *ſpecio* . Sic & *Diſpergo* , a *ſpargo* . *Dis* enim & *di* in compoſitione variant . Manet præpoſitio *dis* integra ante *C* , *P* , *Q*, *S* & *T* . vt in verbis *diſcedo* , *diſcerno* , *diſpono* , *diſputo* , *diſquiro* , *diſſeco* , *diſſentio* , *diſtermino* , *diſtraho* . Amittit *S* ante *D* , *G* , *L* , *M* , *N* , *R* . vt *diduco* , *diditus* , *digero* , *dilabor* , *dilacero* , *dimitto* , *dimoueo* , *dinumero* , *diripio* , *dirumpo* . Ante *F* mutatur , vt *differo* , *difficilis* , *diffugio* . Hæc clara ſunt . Difficilior res ante S cum alia conſonante , id eſt ante *ſp* , *ſt* , vbi S propter concurſum conſonantium ſuauius abiicitur , vt *diſpergo* , *diſpicio* , *diſtinguo* , (a *ſtinguo* , quo Cicero in Arato , & Lucretius uſi ſunt) *diſtringo* . *Diſertus* ſingulare eſt , ſi a *diſſero* : etiam *dirimo* , ſi ab *emo* cum *R* epenthetico potius , quam tranſmutato ; vt *d* in *redamo* : quia *dis* non facile ante vocalem inueneris . *I* conſona eſt , ſi *dis* præcedit , vt *disiicio* , *disiungo* . Legitur tamen etiam in optimis membranis Cicer. lib. I. epiſt. VII. & IX. ſub init. *diiuncti* , quod criticis non diſplicet .

DOMITIVS gentis Romanæ nomen per *T* , in lapidibus Capitolinis, ſecus ac in iiſdem *Sulpicius* . Inde *Domitianus* in nummis quoque cum *T* ſcriptum ; & vxor *Domitia* , itidem in nummis .

DVMTAXAT per *M* in lapidibus . Rauennæ in Druſi Germanici cenotaphio , *epulentur* DVMTAXAT *inante* V *id. Iul.* Et Grut. pag. 574. 6. DVMTAXAT SINGVLI. Ibid. num. 2.

eſt

eſt etiam diuiſum D V M. T A X A T. S I N G V-L I. S I N G V L A S. Sed de his dictum eſt ſupra pag. 21. Vna vero inſcriptione Domitiani pag. 575. n. 1. inueni D V N T A X A T.

ECLIPSIS. Peccant hodie, qui *ecclipſis* duplicata C C ſcribunt, quo ſuam Græcitatis ignorantiam produnt. eſt enim ἔκλειψις, ab ἐκλείπω, *deficio*.

ELOGIVM. Lambinus & Lipſius *Eclogium* ſcribendum cenſent, quia *elogium* neque Latinum nec Græcum ſit. At libri *elogium*, Ciceronis ſæpe, & Sueton. Calig. c. XXIV. Eſt origine ἐκλόγιον, atque ſic *eclogium* perinde, vt *ecloga*, ſcribendum eſſet: vſus vero creber C extruſit & quaſi ciuitate Latinorum donauit: qui non *Ex*, quod Græco ἐκ reſpondet, ante *L*, ſed *E* in compoſitione ponunt, ut *elicio*, *eligo*, *elinguis*, *elongo*.

EMTVS, *emptus*: & ſic alia, *redemtus*, *comtus*, *ſumtus*, cetera, de quibus pag. 22. dictum eſt. Grammaticorum addo teſtimonia. Ter. Scaurus pag. 2256. *Interdum P. littera ſuperuacuo adiicitur, vt quum ſcribimus Sumptus, Demptus, Comptus; quum alioqui ceteris declinationibus verborum non adſit. Sumo enim, & Demo, & Emo, detracta P vt ſuperuacua, quare participationibus adiiciatur, ratio non eſt*. Et Marius Victorinus pag. 2466. *nec conſumptum, nec emptum, nec redemptum - - - - & ſimilia iſtis per* P T *ſcribetis vitioſe, ſed vt ego ſcripſi iuxta* M T *ponetis, & lucrifacietis litteram, qua detracta nihil de ſignificatu vocis diminuit, & ſcribitur expeditius*. Exempla vetuſta ſine *P* prædicta pag. 22. propoſuimus: nec vero negamus plura eſſe cum *P*. Ancyr. monumento & Grut. pag. 489. 12. *ſolo* E M P T O: in veteri S C. p. 328. R E D E M P T O R I B V S. Et I N T E R-E M P T V S Spon. p. 181. Et S V M P T I B V S Grut. pag. 417. C O N S V M P T I S p. 921. 6.

EPI-

EPISTOLA per O breue, origo poſtulat, ἐπιστολή. Multis tamen inſcriptionibus, neſcitur qua ratione, eſt EPISTVLA. Grut. pag. 61. 4. AB EPISTVLIS. Aldus decem lapides eodem ſcripturæ genere notauit.

ETRVRIA, *ETRVSCVS*, ſine adſpiratione in lapidibus, ut ſupra pag. 42. expoſuimus.

EXSEQVIAE cum S, quia ab *exſequor*, hoc a *ſequor*, quod S ſuum poſt X non amittit, vt ſupra demonſtratum fuit pag. 25. 35.

EXSILIVM, *exſul*, cum S. Eadem, quæ ſuperioris vocis, ratio eſt, etiam prædicta p. 25. 35. a nobis expoſita; quia ab *ex* & *ſolum* deriuantur. Nonius Marcellus pag. 12. *Exſules dicuntur extra ſolum*. Iſidorus lib. v. Orig. cap. vlt. *Exſilium dictum, quaſi extra ſolum. nam exſul dicitur qui extra ſolum eſt.*

* Sic etiam de aliis compoſitis ex præuerbio *Ex* & verbis ab S incipientibus, cenſendum eſt, vt *exſatio*, *exſilio*, *exſolvo*, *exſpecto*, *exſto*, *exſtruo*, *exſudo*, *exſupero*, *exſurgo*; de quibus dictum pag. 25. & 35. Adi etiam Manutium.

EXVO & *EXVVIAE*, ſine S. Vetus quidem grammaticus Cæſellius pag. 2315. *Exſui, habet S; ſui enim eſt & inſui, quaſi alicui rei immitti; vnde exſui, quaſi iam emitti & nudari. Inde exſuuia, vnde exſuti, id eſt ſpoliati:* Voſſius autem in Etymologico: Exuo *ſcribendum, non, vt Aldo* (Cæſellio verius) *viſum*, exſuo, *quod ſit ab* ex *&* ſuo. *Nam eſt ab* ἐκδύω, *vt* induo *ab* ἐνδύω. *Hinc &* ἀποδύω *idem ac* ἐκδύω. *Vnde* ἀποδυτήριον, *locus in balineis, vbi veſtes exuuntur. Vtitur* apodyterii *voce Cicero lib.* III. *ep.* I. *ad Q. fratrem, & Plinius lib.* V. *epiſt.* VI. *Ab* exuo *dicta* exuuiæ. *Gloſſ. vett.* Exuuiæ λάφυρα, ἐκδύματα. *Eadem ab* ἐκδύω *ſiue* exduo *vel* ecduo, ecdutæ. *Feſtus:* Exdutæ, exuuiæ.

Hæc

Hæc Voſſius. Dacerius ad Feſtum: *Exduta ab exduo, Græce ἐκδύω; &, eliſo d, exuo, exuuia*. Hinc facile rationes Cæſellii refelluntur.

FACILLIMVS duplici LL, Manutius poetarum exemplis, qui producunt, motus, ſcribit: & ſane ſic in melioribus libris eſt.

FAEX cum æ, non *fex*; libri veteres. Nec plura de hoc Aldus.

FECVNDVS ſine diphthongo. Gellius XVI. cap. XII. Varronis verbis probat, ipſum & *fenus* & *fetus* & *fecunditas* E ſimplici ſcripſiſſe. In nummis Auguſtarum, Lucillæ, Iuliæ Severi, & Fauſtinæ, aliarumque (ſecus quam in pleriſque Vaillant edidit) FECVNDITAS: nummo Albini SAECVLO FECVNDO.

FELIX ſine diphthongo lapides & nummi. Cenotaphio Caii Piſano FELICITER. De nummis vide Spanhemianum illuſtre opus pag. 726. Et ſane nihil frequentius in Auguſtorum nummis, quam FELICITAS *publica, ſeculi, temporum*. Male ergo in libris quibuſdam *fœlix* ſcriptum eſt.

FEMINA quoque in libris & lapidibus ſine diphthongo legitur. Ex libris inſtar omnium ſit Virgilius, quem Carpenſem Manutius cognominat. Lapides plures & ipſe profert, & inſcriptionum opere Gruterus. Hic pag. 459. *Poſtumiae Paullae* FEMINAE *rariſſimae*: & pag. 480. *Valer. Quintae caſtiſſimae* FEMINAE: & alibi ſæpe. Sic & *femen* & *femur* auctore Feſto.

FENVS etiam & *Feneror* ſine diphthongo Varro apud Gellium XVI. cap. XII. *Fenerator a fenore eſt nominatus. Fenus autem dictum a fetu, & quaſi a fetura quadam pecuniæ parientis atque increſcentis*. Pompeius Feſtus: *Fenus appellatur naturalis terræ fetus; ob quam cauſſam & nummorum fetus, fenus eſt*

F *voca-*

vocatum, *& de ea re Leges fenebres*. Qui etiam *fenum* pratorum ab eadem cauſſa dicit appellatum. Gruterus pag. 868. n. 11. *reliqua* VI. *milia* FENERARENTVR. Eſt vero & Anagniæ lapis, quem Aldus vidit, & Gruterus deſcripſit pag. 264. dicatus Seuero, in quo ANAGNINI FOEN.... id eſt *fœneratores*.

FETIALIS per T, Græca conſuetudine & lapidum auctoritate. Dionyſius Halicarn. lib. VI. pag. 410. & lib. X. pag. 649. φιτιάλεις etiam lib. II. pag. 131. φετιάλεις: pro quo Sylburgius ex Suida legendum cenſet φητιάλεις, *fetiales*. Addit lapidem Manutius ſub Tiberio inſcriptum, *Legato Ti. Caeſaris Aug. leg.* VIIII. *Hiſpan. pontifici* FETIALI. Et Feſtus *fetialis*. Gruterus autem pag. 1107. ex alio: LEG. PRO. PR. FECIALIS.

FETVS ſine diphthongo, Varronis verbis, modo in *fecundus* & *fenus* prolatis: & Virgilio Carpenſi, Aldo teſte.

FOEDARE, inquinare, per œ libri veteres, Virgilii præſertim vetuſtiſſimus codex, toties laudatus: & lapis Romanus, quem Manutius vidit, *Nympheum ſordium ſqualore* FOEDATVM.

FOEDVS, σπονδή, per œ. Manutius itidem ad Virgilii ſæpe laudatum codicem prouocat, & ad lapidem Camerinenſem (Grut. pag. 266.) quo eſt IVRE FOEDERIS. Addo Grut. pag. 242. ex ænea ſub Veſpaſiano facta tabula: FOEDVS*ve cum quibus volet, facere liceat*.

FRENVM ſine diphthongo. Manutius libros & ſuum Virgilium: Lipſius libros & lapides vocat teſtes; verba ex lapidibus non profert.

GAIVS prænomen Latinum, ita per *G* ſcribitur in Pandectis, & olim etiam ita pronuntiatum fuit, licet, quum per notam ſcriberent, vt plerumque ſolebant prænomina, C. ſcriberetur, non G, anti-

qua

qua conſuetudine, qua C etiam G (huius nota nondum inuenta) ſignificaret: qua de re dictum ſupra pag. 21. Poſtea etiam extra notas plene quoque *Caius* ſcriptum, nec vero alterum *Gaius*, ut pronuntiabant, ſepoſitum aut abiectum; vt Auguſti ætate vtrumque uſus ferret. In Caiano enim cenotaphio verſ. 7. eſt CAIVM CAESAREM: ibidem verſ. 37. GAI ET LVCI CAESARVM. In Taciti libris per *C*, *Caius Luciuſque Caſares* ſcriptum exſtat lib. VI. cap. vlt. & alibi: & *Caiana expeditiones* lib. IIII. Hiſt. cap. XV. id eſt Caligulæ. Eadem ratio eſt nominis *Cnai*, ſiue *Cnei*, aut *Cneii*, quod etiam vt *G* pronuntiatum & Græce quoque ſcriptum fuit, vt ex Terentiano Mauro pag. 21. dictum eſt. Eius nota eſt C N. *Cn.* non *Gn.* Manutius probat *Cnæus* cum diphthongo: a quo alii diſſentiunt.

GENITRIX, *Genetrix*. Aldo placet prius, quia eſt a *genitor*, hoc a *genitum* ſupino: & epitaphium Aeliæ Sabinæ adlegat, in quo ſit GENITRIX. Contra in nummis & lapidibus Veneris cognomen ſemper *Genetrix* ſcriptum eſt. Gruteri pag. 225. & nummis Hadriani ac Fauſtinæ VENERI GENETRICI. Et Vaticanus Virgilius, vt Pierius, ad Aen. I. verſ. 590. teſtatur, etiam *genetrix* habet; cui itidem Veneris cognomen eſt. Sit ergo in diuæ cognominibus per E ſingulari quadam conſuetudine: de aliis ſcribemus, vt origo poſcit, *genitrix*, quemadmodum vno & altero epitaphio Grut. approbauit.

GLAEBA diphthongo vt ſcribatur, auctor eſt Manutius, ipſe vetuſtis libris, Virgilii præſertim antiquiſſimo, perſuaſus.

GOTHI, populus, cum adſpiratione & VNO T. Inſcriptio Romana ſub Iuſtiniano poſita, *poſt victoriam* GOTHICAM. Et Lilybætana apud

 Rei-

Reineſium pag. 278. *fines inter Vandalos & GOTHOS*. Græci, Procopius & Zonaras, adgrauant littera adiecta, Γόνϑοι.

HADRIANVS, non *Adrianus*, nummi & lapides: & illi forte omnes; hi plurimi, exceptis paucis, de quibus pag. 41. dixi.

HAEDVS, *hædi*, diphthongo principe Virgilii codices vetuſti. Etiam Varro LL. lib. IV. cap. XIX. *Hircus, quod Sabini Fircus: & quod illeic Fedus, in Latino rure Hedus: quod in vrbe, vt in multis, A addito* HAEDVS.

HAEMVS mons Thraciæ, non *Aemus*, quia Græci aſperant. Theocritus idyll. VII. 76. μακρὸν ὑφ' Αἷμον, *lato ſub Hæmo*. Niſi enim aſper eſſet ſpiritus, ὑπ' dixiſſet. Atque ſic in melioribus libris Latinis. Virgilius Georg. lib. 2. verſ. 488.

-- -- -- *gelidis in vallibus Hami*.

HANNIBAL cum adſpiratione, ſecus ac hodie in multis libris videmus. Dictum ſupra pag. 41. Sic etiam *Hanno*, eiuſdem originis Carthaginienſe nomen.

HARIOLVS. Donatus in Phorm. Terentii act. IV. ſc. IV. quaſi *Fariolus* a *fatis* & *fando* dictum cenſet, *F* in *H*, vt ſæpe factum, commutato. Confirmatur libris præſtantioribus.

HARVSPEX non ab *ara*, ſed ab *haruga*, Donatus iam dicto loco: *Haruſpex ab haruga nominatur. Nam haruga dicitur hoſtia, ab hara, in qua pecora includuntur.* Approbant lapides a Manutio exſcripti, quibus eſt HARVSPEX.

* De *Harena* dictum pag. 68. in *Arena*; Sic etiam *Harundo* ſe habet, pro qua *Arundo* ſcribimus, quia aiunt ab *ariditate* dictam. Ineptit Agrœcius inter *harundinem* & *arundinem* diſtinguens. *Arundo*, inquit, *canna eſt, ab ariditate dicta: Harundo, telum e canna.*

HAVD,

HAVD, *haut*. Nimis ſubtilis eſt Marius Victorinus ita hanc voculam vna littera diſtinguens pag. 2462. ut *haud* ante vocales; *haut* ante conſonantes ponendum cenſeat: in quo Iuſtum Lipſium ſectatorem habet lib. III. Variar. Lect. cap. XXIX. quamuis ipſe de Victorino dubitabundus ſcribat, *ſubtilius fortaſſe monuiſſe, quam verius*. Soſipater pag. 87. ad οὐδὲ ducit, ideoque cum *D*. Addit, *ſed & per T ſcribi ſonus vocis admittit*. Beda autem pag. 2336. *Haud*, quando adverbium negandi eſt, *D* littera terminari tradit & adſpirari in capite; & ab *Aut* coniunctione hoc modo diſcernit: de *haut* nullam mentionem facit. In optimis libris etiam *Haud* cum *D* conſtanter legitur: atque *haut* videtur tale eſſe, quale *aput*, *adque* & alia, vbi *D* & *T* aliquando permutata inueniuntur.

HAVE, libri & lapides cum adſpiratione. In epicediis extremis ſæpe, HAVE VALE. Vide exempla apud Aldum.

HELIOGABALVS male ſcribitur a Lampridio, quaſi ab ἥλιος ſit. Originis enim Syriacæ eſt, & in nummis deus, cuius ſacerdos fuerat, & a quo cognomen habuit, ſcribitur ELAGABALVS: quod & verum principis huius cognomen eſt.

HERCVLIVS, *Herkuleus*: illud in nummis eſt, quos vir maximus Ezech. Spanhemius pag. 747. adlegat: hoc in lapidibus apud Gruter. pag. 199. n. 4. & pag. 280.

HERES, non *Hæres* & *Hereditas*, in libris & lapidibus. Fragmento legis Agrar. Grut. p. 205. HEREDESVE EIVS: & pag. 20. 3. *pro ſalute vxoris* HEREDVMQ. *ſuorum*: & p. 149. 6. HEREDITATIVM; & ſic conſtanter alibi. Feſtus quoque *Heres* & *Heredium*.

HIBRIDVS, Latino *I*, non *Y*. Voſſius Ety-

molog. deducit ab *Iber*, *Imber*, id eſt *Vmber*: acceſſit *H*, vt in *harena*, & aliis.

HIC, *heic*, aduerbium. Sunt qui adverbium *heic* ſcribi malunt, vt a pronomine *hic* diſcernatur. Sane multa exempla in vetuſtis epitaphiis viſuntur ita ſcripta: OSSA HEIC SITA SVNT: vide Grut. pag. 640. 862. 965. & HEIC SITVS EST, pag. 651. HEIC EST SEPVLTVS pag. 984. attamen non pauciora ſunt, quibus eædem formulæ, aut ſimiles, per *hic* ſcribuntur. Spon. pag. 24. *oſſa* HIC *ſita ſunt*: & pag. 171. *Iulia Adepta* HIC *adquieſcit*. Et Gruter. pag. 650. HIC *ſiti ſunt*: & pag. 652. HIC *iacet*: & pag. 892. *L. Valerius Maxſumus* HIC *ſepultus*. Videtur ergo *heic* in his formulis aliquid antiquum ſapere, tamquam ex illo tempore reliquum, quo *I* per *EI* vt plurimum exprimebatur.

HIEMS, non *Hyems*. Dictum ſupra aliquid pag. 6. 7. nec enim certum eſt ab ὕειν originem trahere, aliique ab *hiando* deriuant. Virgilius Mediceus Georg. II. 322.

Nondum hiemem contingit equis.

Interdum *P* interpoſuerunt, atque ſic Varronis libro IV. *hiemps* legitur: etiam Grut. pag. 136. in veteris Kalendarii fragmine HIEMPS. Verum improbat hoc Scaurus pag. 2256. *Hiems*, inquit, *cavere P litteram debet, quia in caſibus numquam P, nec B, propinqua eius reſpondet: ſine quarum altera nuſquam in Latinis ea nomina declinantur, ut Princeps, Cælebs*. Nec derivata habent Υ. Vetus tabula, quam Manutius vidit, Gruterus p. 501. transſcripſit, habet HIEMANDI CAVSSA: & mox MEILITES HIEMENT: item, IN HIBERNACVLA *meilites deducantur*.

HISTRIA regio extrema Italiæ ad Illyricum, libri & lapides. Gruter. pag. 285. CONS. VE-

VENET. ET HISTR. Qui *Iſtria* ſcribunt, ab fabuloſo amne, ex Iſtro in has oras, ſi diis placet, deriuato, deducunt. Semel inueni cum *y* pag. 433. *correctori Venetiarum & HYSTRIAE*: in quo nobis ſufficit adſpiratio; vocalem Græcam repudiamus.

HORDEVM. Rei ruſticæ ſcriptores Varro & Columella *ordeum* ſine adſpiratione. Sed Velius Longus Orthographia extrema, & Terentius Scaurus pag. 2258. tradunt, antique dictum eſſe *fordeum*: *F* poſtmodum, vt in aliis multis, conuerſum in *H*. Vide paullo ante in *Hædus*, quod ex *fedus* Sabinorum erat.

IBERVS, Hiſpaniæ fluuius, plerumque ſine adſpiratione, Græca conſuetudine. Straboni lib. III. & Ptolemæo eſt ὁ Ἴβηρ. Inſcriptione autem veteri (Gruter. pag. 690.) eſt FLVMEN HIBERVS: & in Prudentii vetuſtis libris, hymno Calagurritanorum extremo, *quos Hiberus adluit*: & ſub initium, *terra Hibera*, id eſt Hiſpania.

ICCIRCO lubentius eruditi ſcribunt, quam *idcirco*, quia dicimus *accedo*, *accipio*, *d* in *c* mutato. Contra Gruter. pag. 408. Tergeſtina inſcriptione IDCIRCO: ſed multa ſecus, ac veteres plerique conſueuerant, in eadem ſunt conſignata.

IDEMTIDEM, *Identidem*. Poſterius vſitatius eſt, quia grammaticorum opinio inualuit, *m* ante *t* nec ſcribi, nec pronuntiari poſſe. Beda Orthogr. pag. 2337. *Identidem per N in priore loco ſcribendum eſt, licet ſit ab idem & idem*. Verum quia multis exemplis ſupra demonſtratum, inanem metum eſſe, ne *m* & *t* coliſionem pariant; æque *idemtidem* ſcribi poteſt, vt *dumtaxat*, *emtus*, & *redemtus* ſcribimus.

IMMO, correctionis vocula *m* geminato. Virgilius Carpenſis ſic, Aldo teſte; & libri Varro-

nis, Prudentii, & caſtigatiſſimus quiſque.

INCHOARE non quidem a *chaos* certi deducimus, vt grammatici faciunt; cum adſpiratione tamen ſcribimus, quia ſic in marmoribus vetuſtis legitur. v. g. INCHOATVM Gruter. pag. 30. 190. Reineſ. pag. 277. & AB INCHOATO Grut. pag. 169. Reineſ. 275.

INCLYTVS, *inclutus*, *inclitus*. Beda Orthogr. pag. 2338. *Inclytus Græcum nomen. nam κλυτὸν Græci glorioſum dicunt*. Sic puto legendum, quia ad Græcum prouocat; quamuis Putſchii editione *inclitus* ſcriptum eſt. Gruterus pag. 667. 10. INCLYTA ROMA. Atque ita plurimi ſcribi volunt propter eamdem rationem, quamvis non certiſſimam. *In* enim Latinam originem ſuadet, quam alii in *cluo* vel *clueo* quærunt, licet & hoc tandem ad κλύω referatur. Sed ſiue a κλύω, ſiue a *cluo* eſt; tamen quia *y* quoque in *u* tranſire ſolet, ſcribunt alii *inclutus*. Feſtus: *Inclutus*, *nobilis*, *clarus*. Grut. p. 152. 8. INCLVTVS REX THEODORICVS. Quod vero ciuitate verbum antique donatum fuit, Latine alii *inclitus* ſcripſerunt. Grut. pag. 273. 5. PIO ATQVE INCLITO D. N. TRAIANO, Traianum intellige Decium, Philippi ſucceſſorem. Quam ſcribendi formam ſupra pag. 6. 7. Obertus Giſanius præferendam ceteris cenſuit.

INCREBESCO, quamuis a *creber* ſit; non *increbreſco*: quia & *rubeſco* a *ruber*. Vt vero hoc a *rubeo* eſt proxime; ita veroſimile, veteribus fuiſſe etiam verbum *crebeo*, a quo *crebeſco*.

IN DIES rectius diuiſis vocibus, quam *indies* ſcribimus: vt vtrique accentus ſeruetur ſuus: qui in coniunctione a pleriſque retrahitur in præpoſitionem, non ſecus ac ſi enclitica vox *dies* eſſet.

INDVTIAE per *T* ex Gellii ratione, qui lib. I. cap. XXV. putat compoſitum vocabulum ex *inde vti iam* (lege integra verba eius) aut, Aurelii Opilii etymologia, quaſi *initia*. Manutio ſunt tamquam *induſta*: Voſſio ab *indu* veteri, (hoc eſt *in*) & *otium*. Omnes hæ rationes *T* poſcunt, non *C*.

INFITIOR Feſtus & Manutius per *T*, quia ſit a *fateor*. Quum enim Feſtus ait, *infitiari*, *creditum fraudare*; non obſcure ſignificat, eſſe quaſi *infiteri*, vel non fateri depoſitum. Quod probabilius eſt, quam a *facio* deriuare, quod ſit, negare ſe aliquid *feciſſe*. In quam opinionem qui ſecedunt, per C ſcribunt & *inficiari* & *inficias*.

INLVSTRIS, *illuſtris*. De his & ſimilibus ſupra in compoſitis cum præpoſitione pag. 36. dictum eſt, in lapidibus plerumque eſſe *inluſtris* & *inluſtrare*. vid. Gruter. pag. 417. 447. 481. cetera; Spon. pag. 36. 103. reliqua: Manutius autem hanc vocem in iis præ ceteris cenſet, in quibus iudicium aurium, quod molle eſt, ſequendum ſit: quem & conſuetudo iuuat.

IN PRIMIS, diuiſe, vt *cum primis*; non *imprimis*, nec bene *inprimis*. Eſt enim, in præcipuis, ſeu, inter primos & principes: id quod ſi obſeruatur, minus confunduntur inter ſe, quæ idem ſignificare quidem videntur, non autem plane ſignificant, *in primis*, *præſertim*, *præcipue*, *maxime*.

IVCVNDVS, per *V*, quia Ciceroni ab *iuuando* eſt II. de Fin. cap. IIII. Non ergo audiendi ſunt, qui *iocundus* dicunt ab *iocus* vel *iocando*; quibus etiam proſodia reclamat: etſi non deſunt inſcriptiones veteres, quæ cum O id referant, Neapolitana, quam Aldus præbet; & alia Grut. pag. 844. 6. quibus *Iocundus*, *Iocunda* propria nomina ſunt: plures enim *Iucundus* expreſſum habent, quas itidem Aldus recitauit.

IVP.

IVPPITER, *P* duplici, nummi & lapides. quod de illis illuſtris Spanhemius pag. 84. adſeverat, ut non opus ſit exemplis illuſtrare, quale illud in Domitiani moneta eſt IVPPITER CONSERVATOR. Fuluius Vrſinus, & ipſe peritiſſimus nummorum, Aldo Manutio idem adfirmauerat. Lapidum teſtimonia ſint, Grut. pag. 23. 12. in aræ dedicatione: IVPPITER OPTIME MAXIME. Sponius pag. 99. in Auieni Feſti epitaphio: IVPPITER *aethram pandit*, *Feſte*, *tibi*. Manutius etiam ad libros veteres prouocat. Nihilominus, ſi fides nummorum exſcriptoribus Occoni & Vaillantio habenda, in Vitelliano eſt IVPITER VICTOR, vna & ſimplici littera.

K littera quam rari vſus ſit, ſupra pag. 7. diximus. Marius Victorinus p. 1945. ante A adhibitam a veteribus fuiſſe teſtatur, vt *Kanna*, *Kalendæ*, *Karthago:* ſed neque hoc perpetuum. Beda Orthogr. pag. 2338. *Karthago & Kalendæ per K ſcribenda ſunt: licet per* C *melius*. Kalendæ quidem in lapidibus per *K*; non autem ſæpe *Karthago*. Nummi quidam Seueri & Caracallæ & Galerii, quos laudatiſſimus Spanhemius pag. 727. deſcripſit, FELIX KART. præferunt; lapides autem C habent, & plerique ſine adſpiratione. Columna Roſtrata CARTACINIENSIS. Gruter. pag. 512. ex vetuſta tabula CARTAGO CAPTA: p. 385. CARTAGINE: pag. 174. & 349. CARTAGINENSIS. Cum adſpiratione autem pag. 349. CARTHAG. & pag. 586. 9. CARTHAGINIENSIS: & Optatiani Porphyrii tab. x. CARTHAGO.

LABOR, *labi*, præterito & participio *lapſus* an *labſus* formet, diſceptatur. Origo B exigit, atque ita in Sponii Miſcell. pag. 84. & 92. & Grut.

pag.

pag. 48. *vetuſtate* CONLABSVM: & Virgilii codices Aeneid. v. verſ. 326. & 445. *elabſus*: tamen plures inſcriptiones cum P referunt, CONLAPSVM Gruter. pag. 7. & 51. & 173; ac COLLAPSVM pag. 58. & 100. & 163. Fortius enim B ante S pronuntiabant, quam vt illius ſonus ſufficeret: quam ideo in P plerumque veteres mutabant.

LACRIMAE, *Lacryma*, ſine adſpiratione, vt ſupra dictum, quia a *δάκρυον* deducitur: quamuis in quibuſdam lapidibus cum H reperiatur *lachrima*, Gruter. pag. 572. n. 7. Spon. pag. 180. Cum Y autem haud facile repereris; at cum æquiualente V *lachruma* Gruter. pag. 799. Pluribus autem locis LACRIMAE, Gruter. pag. 694. 700. 715. & Spon. pag. 203. 219. alibi. Adde cum primis quæ pag. 6. 7. ex Giſanio de hac etiam voce tradidimus.

LAEVA, ſiniſtra, diphthongo principe, Feſtus; & lapis, a Manutio transſcriptus, PARTE LAEVA.

LAPICIDINA, non *lapidicina*. Varro LL. lib. VII. cap. XXXIII. *Qui lapides cadunt, lapicidas; qui ligna, lignicidas non dici: neque vt aurificem, ſic argentificem*. Gruter. pag. 595. 8. A LAPICIDINIS CARISTIIS. Sic emendandum cum Manutio *αὐτόπτῃ*, quod perperam *lapidicinis* editum eſt.

LETVM, mors, ſine adſpiratione. Extra viam Latinam vagantur, qui mortem ab obliuione, hoc eſt *letum* a *λήθη* (vnde *lethum* ſcribunt) deduci putant. Priſcianus propior, qui a ſupino antiqui verbi *leo*, vnde *deleo* ſupereſt, deriuat. *Plenus*, inquit. lib. v. pag. 665. *quaſi a pleo, verbo: letum quaſi a leo*. Confirmat vetus lapis Gruter. 655. LETO TACENT (*iacent* Manut.) & mox, POST LETI DIEM. Quamuis vero Varro

ro lib. VI. cap. III. & Feſtus *leti* etymon etiam a λήθη petant; tamen vterque ſcripſit ſine adſpiratione.

LITTERA duplici T libri veteres, Lipſio teſte, & lapides. Sic Florentini Pandectæ, vt Aldus vidit; ſic & lapis Præneſtinus apud eumdem pag. 8.

Cuius ne taceat memorandum LITTERA *nomen*.

Et Spon. Miſcell. pag. 36. VTRISQVE LITTERIS ERVDITO, ex baſi Romanæ ſtatuæ. De origine non ſumus ſolliciti, ſiue ſit *legitera*, ſiue *leuitera*, ſiue ab *iter*, ſiue a *litura*, (quod indignatur Iul. Cæſ. Scaliger. de cauſſ. LL. lib. I. cap. IV. quia non ſint ideo inuentæ nec factæ) ſiue ab *iterando*. Vide Diomed. pag. 415. Mar. Victorin. pag. 2452. Apage ineptias. Credibilius, eſſe, vt Voſſius cenſet, a *litum*, ſupino verbi *lino*; quia atramento chartæ ſeu membranæ inlinatur: atque ita ab *oblitum* erit *obliterare*, quod vero etiam T duplicat, vt ſyllaba producatur. nam etiam Catullus in Epithalam. v. 232.

-- -- *nec vlla oblitteret ætas*.

LITVS, *litoris*, vno T antiqui libri, etiam Carpenſis Virgilius; & lapides. Lipſius a *litando* ducit, id eſt ſacrificando, quod ibi nauigantium vota & concepta & perſoluta. Præneſtino lapide iam indicato LITTORA, (non *littora*, vt Gruter. pag. 72. edidit) & alio Romano, LITORE *Phocaico pelagi vi exanimata*; & Ardeati lapide apud Spon. pag. 270. LITVS *vicinum viae Severianae*.

LOQVOR, *locutus*, *loquutus*. Ante *O*, *E*, *I* retinetur *Q*, *loquor*, *loqueris*, *loquitur*, quia *loceris*, *locitur* inconueniens: ante *V* plerique mutarunt in C. vt *locutus*. Antonius vero Rufus, quod

Ve-

Velius pag. 2237. refert, *locutionem quoque per Q dixit eſſe ſcribendam ; item Periculum & Ferculum :* quod ipſe Velius improbauit. Vt enim Q nemo feret facile in poſterioribus exemplis; ita etiam dubium, in priori eſt. Toties in nummis Cæſarum exſtans vox ADLOCVTIO, numquam, quod ſciam, *adloquutio*; (vide ſupra pag. 28.) videtur controverſiam dirimere poſſe. Adde infra *Sequor*, *ſecutus*.

LVCCEIVS Romanum nomen, libri veteres, & inſcriptiones. Grut. p. 646. M. LVCCEIVS FELIX.

LVTATIVS, nobile bello Punico I. nomen, male ſcribitur *Luctatius*. Nummus L. LVTAT. & alius Vrſin. pag. 161. Q. LVTATI. Lapide Capitolino (pag. 292.) Q. LVTATIVS C. F. Correpta etiam prima litteram C excludit. Silius XIII. 731.

Aequoreis victor cum claſſe Lutatius armis.

MAECENAS. Sic ſcribendum, quia Græce eſt Μαικήνας. Nec lapides aliter. Grut. pag. 240. P. MAECENAS: & pag. 638. C. MAECENATIS.

MAEREO, *mæror*, *mæſtus*, & *mœreo*, *mœror*, *mœſtus*, ambigua diphthongo. Sed præfert Manutius diphthongum primam, quia Varro lib. v. cap. VI. a *marcere* ducat, quod *mærore corpus marceſcere videatur :* deinde plures inſcriptiones cum *ae* habeant. Romæ in ara marmorea MAERENDO eſt & MAEROR. Gruterus pag. 494. MAERORE *graviter adflictus :* & pag. 717. MAESTI. Vir conſummatiſſimus Henr. Noris in Cenotaph. Piſ. pag. 480. de his vocabulis: *Profecto in Mediceo numquam ſatis laudato Virgilii codice ſemper diphthongus* AE *ſcripta eſt*. Eſt tamen & OE in lapidibus. Grut. pag. 556. PAR --- MOER ---

id

id eſt *parentes mærentes* : & *moeſtus*, *moeſtiſſimus* pag. 658. 669. 673.

MARCIVS, *Marcianus*, *Marciana*, Romanorum nomina, per C in lapidibus. In nummis gentis Marciæ C. MARCI. & Q. MARC. Et Grut. pag. 240. Q. MARCIVS: & pag. 46. MARCIANAE SORORIS AVG.

MAVRETANIA, per E in nummis & lapidibus. Hadriani & Commodi nummis *Exercitus* MAVRETANIAE: & alio RESTITVTORI MAVRETANIAE: Commodi, MAVRETANIA. Grut. pag. 361. MAVRETANIAM SITIFENS. & pag. 482. MAVRET. CAESARIENS.

MAVRICIVS per C, quia Græci, a quibus nomen eſt, Μαυρίκιος ſcripſerunt. Etiam Gruter. pag. 12. n. 10. MAVRICIVS EVPORVS.

MESSALLA gemina *LL*, cognomen Valeriorum, lapides Capitolini & alii.

MILLE, *milia*, *millia*. De poſteriori lis eſt, vna an duplici LL ſcribatur. Cledonius pag. 1901. *Dicimus*, *mille homines docuit*, *&*, *mille hominum magiſter* : *in plurali vero declinatur milia*, *milium*, *milibus*, *vno L ſublato*. Et Caſſiodorus ex Papiriano pag. 2295. *Mille numerus a quibuſdam per vnum L ſcribitur*, *quod Milia dicimus*, *non Millia* : *alii melius per duo LL exiſtimant ſcribendum*, puta Mille. Sane ſæpe legimus *milia*. Gruter. pag. 835. X MILIA NVMVM; & pag. 868. XC MILIA NVMORVM. Inde etiam *miliarium* ſcribunt vno L. Spon. Recherch. pag. 192. VIAS ET MILIARIA: etiam *ala miliaria* in militia Romana, tam Gruter. pag. 482. quam Plinii lib. VII. epiſt. XXXI. Nec vero *millia* reiiciendum. In Ancyrano enim monumento aliquoties legimus *viginti* MILLIA. Et Spon. Miſc. pag. 179. MILLIA PASSVVM. *MI-*

MINVCIVS per C. Dixi ad Minucium Felicem pag. 1. Addo nummos gentis Minuciæ, Vrſin. pag. 179. L. MINVCI. & TI. MINVCI. C. F. Et Gruter. pag. 675. Q. MINVCIVS MACER.

MISTVS & *MIXTVS*. Prius analogiæ propius eſt; Poſterius vſui. In *miſceo* enim, vnde ducuntur, nullum X, niſi tranſponas CS: Pierius autem ad verba Aeneid. 1. 488.

Se quoque principibus permixtum agnouit Achiuis: *Inualuit*, inquit, *iampridem vſus*, *ut* MISTVS *per* ST *ſcribatur: quum tamen in codicibus omnibus antiquis vno conſenſu per* XT *ſcriptum inueniatur* PERMIXTVM. Et lapide Romano apud Manutium: OSSA MEA MIXTA CVM FILIAE.

MOESIA, regio iuxta Iſtrum, Latine per œ ſcribitur, vt in Manutio exſcriptis lapidibus, PR. PR. PROVINCIAE MOESIAE, licet Græcis ſit Μυσία.

MONVMENTVM, *monimentum*. Priori formæ analogia fauet in *documentum*, *nocumentum*, *emolumentum*; & lapides plurimi ſepulcrales: etiam alii, Gruter. pag. 162. MONVMENTVM RERVM *excitauit*. Nec vero multo pauciores ſunt, quibus MONIMENTVM inciſum eſt. Gruter. pag. 558. 592. 594. 656. 5. & alibi: etiam Varro lib. v. cap. vi. *monimenta*.

MVCIVS, non *Mutius*, lapides Capitolini, conſuetudo Græca, & nummus, cuius eſt Q. MVCIVS Q. F. SCAEVOLA.

MVLTA, & *mulcta*. Prius amant eruditi, quia lapidum eſt & librorum veterum. Vetus lapis Firmanus AIRE MOLTATI. Tamen Emeritenſi inſcriptione ſub Domitiano exſtat (pag. 155. Grut.) *gente male* MVLCTATA.

MV-

MVNATIVS, familiæ Rom. nomen per T, libri & lapides, Grut. pag. 52. 54. cet.

MVSEVM ſine diphthongo, quia eſt *μουσεῖον* Græce. Vid. Plin. 1. epiſt. IX.

MYTILENE, nobilis vrbs Lesbi, *y* in prima, (non *Mitylene*, vt in libris eſt) conſenſu nummorum ſcribitur. Vide noſtram Notitiam Antiquæ Aſiæ pag. 16.

NE DVM, *nec dum*, *non dum* disiunctim ſcribit Manutius, quia ſimilia *non nihil*, *non nulli* ſeparatim ſcribamus. Accedit, quod in Caiani cenotaphii verſu 14. N O N. D V M. ſeparata, & puncto, ſingulas voces diſtinguente, diuiſa conſpiciuntur. In Mediceo autem Virgilii codice N O N-D V M coniuncte ſcriptum eſt Georg. 2. 322.

NEFAS male in quibuſdam libris cum *ph* expreſſum eſt. *F* enim habent lapides: Lanuuinus, NEFAS EST; Sic & *nefandus* Gruter. pag. 161. 1.

NEGOTIVM per T, vt *otium*, libri & lapidum plurimi. Frequens enim in his eſt nomen N E-G O T I A T O R, Grut. pag. 466. 624. 641. 645. ſæpe, & 650; & Spon. Miſc. pag. 226: ac *negotiantur*, Gruter. pag. 496. Non numquam vero etiam cum C reperitur, Gruter. pag. 14. n. 12. pag. 411. 3. pag. 640. 2.

NENIA, ſine diphthongo Voſſius Etymologico: quia a *νηνίατος*, quod idem: & *νηνυρίζειν* Heſychio eſt *θρηνεῖν*.

NVMMVS & *NVMVS*, duplici *M*, & ſimplici. Prius probat Manutius, tamquam frequentius in libris & lapidibus. Ipſe vero vnum exemplum adfert ex Romano lapide, N V M M V L A-R I O: addit tria eiuſdem vocis *M* vno ſcriptæ. Monumento autem Ancyrano *quadrigenos* N V M-M O S, & poſt paullo *millia* N V M M V M, id eſt

eſt nummorum. Veteres enim nulla nota pluralis genitiui contractionem indicant. Et Spon. Miſcell. pag. 63. HS ∞ ∞ N V M M V M. Et in Varronis libris *nummi*. Contra Gruter. pag. 833. & 868. M I L I A N V M V M, & M I L I A N V-M O R V M.

NVMQVAM, quo eruditiores vtuntur, tuetur Manutius ex analogia, quia *M* ante *Q* in aliis conſiſtat, *vtrumque*, *quemquam*, *namque*, *quæcumque*, & ſimilibus. In Ancyrano autem, & alio Romano lapide (Manutius pag. 309.) eſt N V N-Q V A M.

NVNTIVS per T. Manutius per C præfert: nos cum T Cenotaphio Caii Cæſaris ſub initium: *cum allatus eſſet* N V N T I V S: & poſt verſus aliquot, *deceſſus* N V N T I A T V S. Et in veteri S C. apud Gruter. pag. 499. *deixſiſtis vobeis* N O N-T I A T A E S S E. Nec ipſe Manutius diffitetur, in Carpenſi, nunc Mediceo Virgilio, etiam per *T* ſcriptum eſſe. v. gr. Aen. 11. 547. *nuntius ibis:* & lib. xi. 740. *nuntiet*. Tamen & Gruter. pag. 254. 4. D E N V N C I A T O R E S.

OBSCENVS, quia a *ſcena*, σκηνὴ, per E ſimplex. Varro L L. vi. cap. v. *Obſcænum dictum a ſcæna.* nam *ſcena* antiquis contra originem per AE ſcripta. Interpretatur Aldus, *quaſi contrarium ſcenæ, quod in ſcena, multis præſentibus, pronuntiare non liceat*. Scaliger de cauſſis LL. lib. 1. cap. xxxiv. per *oe*, ἀπὸ κοινοῦ, ſcribi vult. Nonius autem per *AE*, quamuis *immundum* explicet: quæ notio videtur Scaligero accommodata. Sed commune immundum eſſe, ſacræ dictioni in diuinis litteris, quam genio Latinitatis, eſt propius.

OLVS, *oleris*, quod multi *holus* ſcribunt, vt Feſtus, Nonius; & in veteris calendarii fragmento *forum holitorium*. Voſſius bene ab *oleo*, id eſt creſco,

trahit; qua ſtante ratione, excidit adſpiratio.

OPPERIOR duplici *pp* libri veteres, & Virgilius Carpenſis, vt Manutius memorat.

OPPIDVM, quidam *opidum* ſcribunt, quia Varro lib. IV. LL. cap. XXXII. Cicero de Gloria apud Feſtum, & ipſe Feſtus ab *ope* dictum putent, quam hominibus præbeat: aut quod ibi homines *opes* ſuas conferant. Sed luditur ſæpe in etymologia, & ipſe Varro ac Feſtus geminata littera ſcripſerunt: atque ita etiam in lapidibus, vt Aletrino, IN OPPIDO: in ponte Alcantarenſi, OPPIDANI.

OPPORTVNVS, gemino *pp* libri veteres, & ſæpe laudatus Virgilii vetuſtiſſimus codex.

OTIVM, per T, non per C. Pierius ad Virgilii eclogam I. tradit, Romano, & Mediceo, aliiſque antiquis libris *otia* per T ſcriptum: & Manutius, Q. Papirium *otium* in iis ſcripſiſſe, in quibus T ut Z legatur. Adde *negotium*, de quo ſupra. Eſt enim ex *nec* & *otium*, etiam Scauro iudice pag. 2262.

PAENE, id eſt *fere*, cum AE libri veteres, Manutio teſte, & lapides. Grut. pag. 655. ERODITA PAENE MVSARVM MANV. *Erodita*, antique.

PAPIRIVS, Romanæ familiæ nomen, *I* Latino, non *Υ* Græco. Eius gentis tres nummos Vrſinus profert, qui confirmant, vnum Latine ſignatum, PAPIR. CARB. duos Græce, ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Grutero pag. 447. in Brixienſi lapide plures Papirii ſunt. *P. Papirius Augur; Cn. Papirius Fuſcus; Cn. Papirius Curſor*, & *Cn. Papirius Curſor filius*: omnes ſine *y* Græca littera.

PARRICIDA. Librorum auctoritate veterum Manutius nititur.

PATRICIVS, cum C libri, Græca conſuetudo,

do, & lapides. Fulginii repertus: *adlecto inter* PATRICIOS.

PAVLLVM & *paullulum*, LL geminata. Terentius Scaurus pag. 2256. *Sine dubio peccant, qui* paulum & paululum *per vnum* L *ſcribunt*. Obiicit Velius pag. 2238. iuxta diphthongum geminari conſonantem non poſſe, quia non poſſit pronuntiari. Sed refutatur exemplis. Inſcriptione Romana Grut. pag. 769. QVOD DEICO PAVLLVM EST. Sic ubique inuenimus *Paullus*, *Paullinus*, propria nomina, iam demonſtranda: ſic & vox *cauſſa* ſupra fuit probata.

PAVLLVS, cognomen Aemiliæ gentis, plures lapides habent, pauciores *Paulus*; v. g. PAVLLVS legitur Grut. pag. 293. in Capitolinis, & p. 50. 729. 851. & *Paulla* pag. 321. 459. : Sponius Miſcell. *Paullus* pag. 43. 275. alibi. Et nummi gentis Aemiliæ tres apud Vrſin. p. 7. PAVLLVS. At *Paulus* Grut. pag. 21. 9. pag. 824. 8. Sic & *Paullinus* pag. 429. 3. *Paullina* pag. 756. 806. ſed *Paulinus* pag. 45. & 100.

PELOPONNESVS, gemino NN, conſuetudine magis quam ratione. Strabo lib. XIII. pag. 425. de Hecatonneſis: *καλοῦνται Ἑκατόννησοι συνθέτως, ὡς Πελοπόννησος, κατὰ ἔθος τι τοῦ* N *γράμματος πλεονάζοντος*, *Vocantur* Hecatonneſi *per compoſitionem, vt Peloponneſus, ex conſuetudine quadam* N *abundante*. At *Χερρόνησος*, *Cherſoneſus*, N ſimplici.

PERCVNCTARI vide in *cunctari*, vbi expoſitum.

PERENNIS, libri, & lapis Roman. OB. PERENNEM ---- quod contra eos notauit Manutius, qui *peremnis* putarunt dici, ſicut *ſolemnis*.

PERSES, nomen regis Macedoniæ, Latinis

gratior forma, quam quæ ſecundum Græcos eſt *Perſeus* ex Περσεύς. Grut. pag. 296. 1. EX MACEDON. ET REGE PERSE PER TRIDVVM *triumphauit*. Sic & plerique Latini libri: Liuianus autem *Perſeus*.

PIGNVS, vt Priſcianus lib. VI. pag. 721. tradit, *pigneris* & *pignoris* caſum format: vt *fenus*, *feneris* & *fenoris*. Nugatur Agrœcius, notione vocales diſtinguens, vt *pignera* rerum ſint; *pignora* filiorum. Quin potius *pigneris* priores dixerunt; poſteriores *pignoris*. Ita Manutius cenſet: ita Priſcianus lib. VI. de duplici caſu a *fenus*. Quum dixiſſet *fenus* facere *fenoris*, addit: *Tamen antiqui feneris dixerunt: vnde & feneror verbum, & fenerator. Et pignus pigneris & pignoris; vnde pignero, pigneras*.

PIRVS, *pirum*, quia Latina ſunt, per *I* Latinum. Adluſio enim eſt, non derivatio, quæ a πῦρ ducit propter formæ vel coloris ſimilitudinem. Vid. Iſidor. XVII. Orig. cap. VIII.

POENA per *oe*, quia a ποινή: atque ita etiam lapides, quos Manutius exſcripſit. A *pœna* eſt *pœnitet*, licet Varro ordinem inuertat, *pœnam* ducens a *pœnitendo*; idem tamen ſub finem lib. IIII. de L. lingua, nexum vtriuſque confirmat, & cum eo paritatem ſcripturæ. Vt vero Romani interdum permutabant diphthongos, v.g. *prœlium* & *prælium* ſcribentes; ita factum, vt Oratione Claudii (Gruter. pag. 502.) aliquoties PAENITET legatur, quod non tam rationi, quam conſuetudini dandum eſt. atque ita etiam in Mediceo Virgilio eſſe dicitur.

POMERIVM etiam conſuetudine magis, quam certa ratione ſine diphthongo ſcriptum eſt in libris & lapidibus: quamuis non ignorarent veteres eſſe a *pone mœros*, id eſt poſt muros. Varro lib. IV. cap. XXXII. *quod erat poſt murum, pomerium dictum*. Inſcri-

ſcriptio Claudii, POMERIVM AMPLIAVIT; & alia apud Manut. FIN. POMER. TERMIN. Et Spon. pag. 265. *finibus* POMERIVM *ampliauit*.

PORCIVS, gentis Romanæ nomen, per C, non T, libri, lapides, quorum quatuor Gruterus pag. 458. exhibet. Nummus Vrſini L. PORCI. Græce Πόρκιος.

POSTVMVS, poſtremus; & *POSTVMIVS*, familiæ nomen, ſine adſpiratione. Vetus lapis Manutio referente; *L. Autronius L. fil.* POSTVMVS, vbi nomen proprium eſt: quemadmodum & ille, qui, Gallieno imperium negligente, in Gallia purpuram ſumſit, in nummis non *Poſtumius*, vt in libris eſt, ſed POSTVMVS conſtanter vocitatur. Vrſinus in nummis Poſtumiæ gentis, inſignem præfert, inſcriptum A. POSTVMIVS COS. & alium, C. POSTVMI. In vetuſta tabula conſulum Grut. pag. 293. *Aulus*, *Lucius*, & *Spurius Poſtumii* memorantur: adde pag. 306. 986. & ſic plurimis locis. Diffiteri autem non poſſum, pag. 151. (vidit & Spon. pag. 150.) CL. POSTHVMVS legi: & p. 38. n. 14. Q. POSTVM. ſed poſterioris æui ſunt. Eutyches pag. 2311. *Quædam excludunt penitus ſpiritum, vt poſtumus, poſt humatum patrem natus*.

PRAESTRINGERE, tolli vult Manutius; *præſtinguere* ſubſtitui, idque auctoritate veterum librorum. Velim pluribus expoſuiſſet, illuſtraſſetque exemplis: ſed nihil adiecit. Lambinum in eam opinionem quidem Lucretii codex induxit, quo legitur lib. III. verſ. 1057. de Epicuro:

> *Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omnes*
> *Præſtinxit*.

At Giſanius in MSS. *præſtrinxit* inuenit, in aliis *reſtrinxit*: Salmaſius *reſtinxit*. Qui notas Nonio

 ſub-

ſubiecit ſiue Mercerus ſiue alius, idem ſenſit p. 100: & Franc. Fabricius ad Aſconii Divinat. Verrin. c. xiv. Sed neque Aſconius, neque Nonius aliud quam *præſtringere* habent: & ipſe Cicero in Verr. Divin. cap. xiv. *præſtringat aciem ingenii:* & de Divinat. lib. i. cap. xxix. *præſtringere aciem mentis:* nec aliter MSS. Proinde claudo hanc diſceptationem Giſanii ad Lucret. verbis: *Præſtringere valet quaſi obnubere: præſtringere oculorum aciem, ἀμαυροῦν. Hoc qui in præſtingere mutant, non recte, meo quidem iudicio, faciunt, quum omnes omnium ſcriptorum lib. vet. repugnent, & ipſi grammatici.*

PREHENDO reiicit Manutius: quia in libris ſit *prendo* & *prenſus*. Et Velius Longus pag. 2229. *Prendo dicimus, non prehendo*. Sed eſto, ſimplex ſine contractione aut rarum aut inuſitatum eſſe (Varro autem lib. v. cap. vii. *manu prehendimus*) & Virgilium ſcripſiſſe *prendere, prenſi, prenſant:* integrum tamen negari non poteſt, quod in compoſitis redit, *apprehendo, comprehendo, reprehendo:* quæ a quibuſdam diphthongo ſcribuntur, ſed ſine ratione, quia nulla eſt ex *præ* compoſitio: etiam lapides per *præ* habent, Romanus COMPREHENSIS, vt Manutius, qui vidit, refert; non, vt Gruterus pag. 682. Smetii fide, *compraehenſis* transſcripſit: & Neapolitanus, DEPREHENDERIM.

PRELVM ſine diphthongo, quia a *premo*, contractum ex *premulum*. Contractio autem producit primam. Iſidorus lib. xx. cap. xiiii. *Prelum a premendo vocatum, quaſi preſſorium*. Qui per *ae* ſcribunt, a *præluendo* ducunt, quod longius petitum, quamuis etiam *lacus* ſit ad prelum in torculari.

PRETIVM per T, libri & lapides. Carmen Præneſtini lapidis, quem Manutius vidit, *Digerit in* PRETIVM, Gruter. pag. 893. num. 8.

PRE-

PRETIVM INTVLIT.

PRO admirationis, ſine adſpiratione, quæ in fine nulla eſt: vide ſupra pag. 40. Feſtus in PRO: *alias pro admiratione, vt, pro Iuppiter*. Sic etiam Virgilius Carpenſis, auctore Manutio.

PROCONSVL. Quidam malunt *pro conſule*, vti omnino interdum ſcripſerunt Latini: & in nummis Vrſini PRO. COS. p. 15. 16. 148. diuiſe cum puncto interueniente: tamen etiam coaleſcit, & vt vna vox ſcripta viſitur dandi caſu PROCONSVLI in multis lapidibus, ab Aldo exſcriptis. Accedit, quod *proconſulatus*, *proconſularis* Latine dicatur, quæ a diremtis eſſe nequeunt.

PROELIVM per *OE* lapides Capitolini & vetuſtiſſimus Virgilii codex. Gruter. pag. 298. 4. in Capitolinis, PROELIO CONFLIXSISSET: & pag. 291. IN PROELIO OCCISVS EST. & alio lapide, Manutio teſte, PROELIATVS. Attamen Ancyrano monumento, ſi recte expreſſum eſt, NAVALIS PRAELII: & Reineſ. pag. 516. PRAELIO *nauali facto*.

PROMONTORIVM, *promuntorium*. Poſterius defendunt Turnebus Adv. XIII. cap. XVIII. & Iſaac. Voſſius ad Melæ lib. I. cap. XIII. quia a *promineo* ſit, non a *mons*: quaſi prominentia litoris, quod poſſit etiam ſine monte eſſe, & mons ad mare ſine prominentia: immo eminens mediis in Alpibus iugum Liuius *promuntorium* dixit lib. XXI. cap. XXXV. *vbi* Gronouius etiam *promuntorium* edidit.

PTOLEMAEVS, non *Ptolomæus*, vt hodie multi ſcribunt. Nomen enim eſt a πτόλεμος. Hinc a Ptolemæis conditæ vrbes *Ptolemaides* dictæ. Nummus Auguſti ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΟΣ ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ: Claudii & Caracallæ, PTOLEMAIS.

PVLCHER, *pulcer*. Poſterius antique valuit: poſt aurium cauſſa H adiectum. Cicero in Oratore cap. XLVIII. *Ego ipſe quum ſcirem ita maiores locutos eſſe, vt nuſquam, niſi in vocali, adſpiratione vterentur, loquebar ſic, vt* pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem *dicerem: aliquando, idque ſero, conuicio aurium quum extorta mihi veritas eſſet, vſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui*. Terentius Scaurus pag.2256. *Pulchrum, quamuis in conſuetudinem adſpiretur; nihilominus tamen ratio exiliter* C *enuntiandum & ſcribendum eſſe perſuadet, ne vna omnino dictio, aduerſus Latini ſermonis naturam, in medio adſpiretur*. Varro etiam apud Cariſium pag. 56. adſpirari negat, *ne duabus conſonantibus media intercedat adſpiratio, quod minime rectum antiquis videbatur*. Id in obliquis magis, *pulchri*, *pulchrum*, quam in recto locum habet. Sic de voce hac & ſcribenda & enuntianda non vno modo iudicatum fuit, vt tamen Ciceronis ratio prævaleret. Acceſſit perſuaſio a Græcis eſſe, quaſi πολύχρουν vel πολύχερ: ſed neutrum probabile. In nummis gentis Claudiæ PVLCHER: etiam in lap. Capitolinis: & alio Gruter. pag. 820. PVLCHER PVLCHRI F. At Reineſ. pag. 275. ASVLA PVLCRA. Aſula autem caſtellum eſt.

QVATVOR, *quattuor*. Alterum diplaſiaſmus poeticus eſt, quamlibet Aldus vbique reſtitui poſtulet. Eſt enim prima per ſe brevis. Ennius apud Ciceronem lib. 1. de Divin. cap. XLVIII.

Cedunt ter quatuor de coelo corpora ſancta.

Sic veteres libri, etiam Lambini: neſcio autem, cur Gruteri & Gronouii editionibus tranſpoſitio facta ſit *de coelo ter quattuor corpora ſancta*. Perdunt enim metrum in vltima, dum in prima iuuare volunt. Et, ſi de hoc forte dubites, addo ex Martialis lib. XIV. epigrammate LXIX.

Di-

Diceris hac factus caelebs quater eſſe lagena.
Ex Domitiani autem ſæculo lapis Grut. pag. 631. QVATTVOR LIBER. BENEFICIO.

QVERELA & *Querella*. Geminatum tuetur Manutius ex lapidibus & Virgilii vetuſto illo codice. Papirianus grammaticus pag. 2290. *Querela apud Latinos per vnum L ſcribebatur, ſicut ſuadela, tutela, cautela, corruptela: nunc autem etiam Querella per duo L L ſcribetur*. Multa ex lapidibus exempla L geminati Manutius profert: pæne totidem, in Gruteri opere inueni cum L ſimplici, pag. 761. 10; 793. 9; 833. 3; 1142. 8; 1145. 8. quibus omnibus locis QVERELA ſcriptum eſt.

QVERIMONIA. Beda pag. 2343. *Queremonia per duo E*: reclamat analogia, *parſimonia*, *ſanctimonia*, *alimonia*, *carimonia*.

QVIDQVID vide ſupra pag. 23.

QVINTVS, *Quinctus*; *Quintius*, *Quinctius*; *Quintilius* & *Quinctilius*; *Quintilianus* & *Quinctilianus*. Manutius & Lipſius in his *C* defendunt ex Capitolinis lapidibus; & ex analogia, quia ſicut a *relinquo* eſt *relictus*; ſic *quinctus* a *quinque*. Impugnant Turnebus XXX. cap. XXVIII. & Dauſquius in Orthographia. Sane *Quinctius* multis in lapidibus: at non paucioribus ineſt *Quintius*, vt Gruteri Index propriorum nominum conuincit: eſt *Quinctilius*; ſed ſæpe etiam *Quintilius*: nec ſemper *Quinctilianus*, verum etiam *Quintilianus* Grut. pag. 116. 3. pag. 877. num. 1. Nec vero *C* errori ſcalptorum, vt Turnebus, tribuo; ſed credo, vtramque ſcribendi rationem ex æquo fuiſſe vſitatam. Græci quoque ſine κ transferunt Κόϊντιος & Κυϊντίλιος. vide Plutarchum in Flaminio, & Dionem lib. LVI. de Quintilio Varo. Ipſum *Quintus* etiam in lapidibus eſt. Gruter. p. 768. CATVLLAE QVINTAE. Adde ſupra pag. 107: in *Femina*.

QVOTIDIE, *cotidie*. Lipſius poſterius præfert: Manutius prius. Nihil vero agit Beda, quum pag. 2344. inter vtrumque diſtinguit, illud numeri; hoc enuntiationis vocans aduerbium. Sanior Caſſiodorus pag. 2283. qui ſcripſit: *Quotidie: ſunt, qui per* co *cotidie ſcribant, quibus peccare licet: deſinerent, ſi ſcirent, Quotidie inde tractum eſſe a quot diebus, id eſt omnibus diebus*. Quintilianus lib. 1. cap. VII. *Quotidie, non cotidie, vt ſit quot diebus*. Cum his etiam facimus, propter eamdem rationem. Non enim dicimus *cot* pro *quot:* non *cotannis* pro *quotannis*. Vtrumque tamen in vſu fuit; ſed *quotidie* magis. Papirianus pag. 2290. *Cotidie per C & O dicitur: per Q ſcribitur*. Tergeſtina autem inſcriptione Gruter. pag. 408. COTIDIE BENEFACIENDO.

QVOTIES, non *Quotiens*, ex aurium ſuauitate ſcribi iubet Manutius: etiam ex veteri lapide: QVOTIES IN SENATVM IRET. Contra tamen in quibuſdam *quotiens*. Vide Gruter. pag. 715. n. 16. Diſtinxit temporibus Beda p. 2343. *Quoties & toties ſine N, licet veteres per N*. Idem de aliis numeralibus notandum eſt, vt *quadragiens* in Ancyrano, ſect. 11.

QVVM, *Cum*, cauſſæ aut temporis. Quintilianus lib. 1. cap. VII. *Seruata a multis hac differentia, vt CVM, ſi tempus ſignificaret, per Q; ſi comitem, per C* ſcriberetur. Terentius Scaurus pag. 2261. *CVM quidam per Cum, nonnulli per Quom. Quidam etiam eſſe differentiam putant, quod præpoſitio quidem per C, illo modo, cum Claudio, cum Camillo: aduerbium autem per Q deceat ſcribi, vt, quom legiſſem, quom feciſſem*. *Quom* autem eſt *quum*, quia veteres VV timide coniungebant, vt pag. 11. & 12. ſupra oſtendimus. Et Velius Longus pag. 2231. hanc *differentiam* dicit *ab antiquis maxime obſeruatam*,

vt

vt pro aduerbio temporis Q littera vterentur; C pro præpoſitione. Aliud enim eſſe *quum ſubito adſurgens;* aliud, *cum fluctu*. Veteribus quidem, quæ exſtant, monumentis non facile *quum* inueneris, ſed Ancyrano ſect. III. CVM MAGISTRATVM INIRENT; & Reineſ. claſſ. VI. inſcr. 91. CVM AGERET; eruditis autem pæne multis diſcrimen illud, quod Fabius, Scaurus & Velius expoſuerunt, placuit. Quos etiam illud mouit maxime, quod, ſi aduerbium & præpoſitio concurſant, aliquid inconueniens oriatur, niſi diſcernas litteris: v. g. Cicero lib. III. epiſt. VI. ſect. 3. *cum illo cum loquerer:* & pro Archia cap. IV. ineunte, *cum eſſet cum L. Lucullo in Ciliciam profectus*: & Spartianus Hadriano cap. XVII. *cum pluribus ſummatibus cum paſceret*. Scio quidem Salmaſium ſolicitare hunc locum; res ipſa tamen & alibi poteſt contingere, vt aduerbium cum præpoſitione concurrat, quæ nullo modo aptius diſcriminari poſſunt, quam ſi ſcribemus, *quum cum pluribus paſceret:* item, *quum cum illo loquerer*.

RAETIA ſine H; ut ſupra pag. 45. probauimus. Addo Gruter. pag. 482. 5. *prouinciarum* ---- RAETIAE. MAVRET. CAESARIENS.

RECVPERARE, *Reciperare*. Feſtus *Reciperatio* ſcripſit, & a *Recipio* deduxiſſe videtur. Dauſquius ex Mediolanenſi inſcriptione RECIPERAVIT. Et ſic in multis libris. Sed alia quoque ita variant, vt *manubiæ* & *manibiæ:* vtrumque in Ancyrano habemus. Alii ab *re* & *parare* trahunt, cum epenthetica ſyllaba *ci* vel *cu;* vt *du* eſt in *induperator*. Sane contra analogiam a *recipere* fit *reciperare;* bene autem *receptare*. Vt vero vſus *manubias* præfert; ita etiam *recupero*. Aut referas ad ea, quæ *u* & *i* æqualiter ferunt, vt *lubet* ac *libet*.

REDITVS, *Redditus* plurale, prouentus & lucrum ex agro, aut vectigalia, *les reuenus* Gallis. Qui geminant D, ad formulam *reddit ager*, reſpiciunt: vt Martialis lib. II. epigr. XXXVIII.

Quid mihi reddat ager, quaris, Line, Nomentanus.

Sed præſtat *Reditus* propter elegantiſſimas locutiones, *pecunia redibat e metallis*, Nepos Themiſt. cap. II. *ex qua regione* L *talenta quotannis redibant*, ibid. cap. X. Quid? quod Ouidius lib. II. epiſt. III. ex Ponto, in hoc ſenſu corripuit:

At reditus iam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit
Vtile, ſollicitis ſupputat articulis.

RVFVS, *RVFINVS*, Romana nomina. F vno, in nummis & lapidibus. Vide Gruter. pag. 53. num. I. & 705. 4. Et Vrſinus in Nummis Famil. pag. 174. L. MESCINIVS RVFVS.

SAECVLVM, diphthongo, nummi & lapides. Nummi ſane Domitiani plures LVD. SAEC. FEC. & Severi, Caracallæ, Getæ FELICITAS SAECVLI: Albini, SAECVLO *ſecundo:* eiuſdem & Pertinacis, SAECVLO *frugifero:* Seueri & Caracallæ SAECVLARIA SACRA. Ex ſenatus conſulto Gruterus pag. 328. SAECVLARES. Spon. Miſcell. pag. 165. ex Arelatenſi lapide, SAECVLORVM: & Romano pag. 272. *ſaecularia* & *ſaeculi*. Non ergo curamus grammaticorum origines a *ſenex* vel *ſequi*, quæ etiamſi eſſent, tamen E breve adiecto A fuiſſet producendum.

SAEPE, aduerbium, diphthongo prima. Oratione Claudii pag. 502. Grut. SENI AC SAEPE OCTONI. Et pag. 654. 6. GENERABAT SAEPE.

SAEPIO, *ſæpire*, eadem diphthongo. Cenotaphio Lucii Cæſaris, STIPITIBVS SAE-

PIA-

PIATVR. Gruter. pag. 61. MACERIA Q. AREAM SAEPIENDAM: & pag. 864. 4. SAXO SAEPTVM. Mediceus Virgilii codex variat: Aeneid. I. verſ. 411. SAEPSIT: & 439. *ſaeptus nebula*: & verſ. 506. *ſaepta armis*: alibi ſine diphthongo. Et ſic quoque *ſapes* ac *ſapimentum*.

SALLVSTIVS per LL lapides plurimi: & Horatius lib. I. Sat. II. verſ. 48. qui produxit.

SALTEM, *Saltim*. Obſcura origo, de qua Gellius lib. XII. cap. XIV. diſputat, nihil autem inuenit, cui tuto inſiſtat: Seruius ad Aeneid. IV. verſ. 327. ex captiuorum formula, *ſalutem concede*, contractum dixit: quod a prioribus etiam memoratum, *nimis commenticium* Gellius dicit. Ianus Guilielmus lib. I. Veriſimilium cap. X. *ſaltim* contendit ſcribendum eſſe, quia in MSS. illud ſit: & Priſcianus lib. XV. non in aduerbiis in *em*, ſed in *im* exeuntibus recitet: idque analogia poſcat, *ſtrictim*, *curſim*, *caſim*, *furtim*.

SATIRA, *Satura*, *Satyra*. Caſaubonus ſingulari libro Romanam *ſatiram* a Græcorum *ſatyrica* poeſi diſtinxit, &, ne vel notione vel ſcriptura confundantur, admonuit. Ioſ. Scaliger in Manilii lib. V. pag. 408. *Satura omnigeni argumenti poeſis: & SATVRA νόμος πολλὰ περιέχων, Gloſſis. Caue legeris* (V. 474.) ſatyro geſtu; *vt Satyras Lucilii & Horatii per y ſcribendas putes*. Voſſius Etymolog. *Saturam* cum Porphyrione & Diomede (lib. III. pag. 483.) *lancem* interpretatur, *plenam diuerſis frugibus*. Addit Diomedes, olim carmen quod ex variis poematibus conſtabat, *ſaturam* dictum, vt Ennii, Pacuuii: poſt ita dictum, quod ad carpenda hominum vitia compoſitum eſt, vt Lucilii, Horatii, Perſii. *Saturam* & *Satyram* diſtinguit

guit Scaliger vt *maxumus* & *maximus*.

SCENA, *ſcæna*. Manutius E ſimplex commendat, quia ſit ipſa σκηνὴ Græcorum. Sic Reineſ. claſſ. 11. inſcr. xxx. SCENA, & inſcript. LXXXIX. PROSCENIVM. & ibidem LVDIS SCENICIS. Alibi plerumque per æ. Gruter. pag. 172. 3. PONE SCAENAM. Sic & pag. 330. 2; 655. 1, & ex Auguſti ætate cenotaphio Caii Cæſaris, LVDI SCAENICI. Varro lib. VI. de LL. cap. v. *Obſcænum dictum ab ſcæna. ea vt Græci, vt Accius ſcribit*, SCENA. *In pluribus verbeis A ante E alii ponunt, alii non*. Conſuetudinis ergo, non certæ rationis, illa diphthongus eſt. atque ita etiam *Obſcenus* & *obſcænus*; quia a *ſcena* ſecundum Varronem trahitur.

SEORSVM, non *ſeorſim*, quia a *ſe* & *vorſum*, ſeu *verſum*, *verſus*. Adi Voſſium.

SEPTEMTRIO cum M, non N, in lapidibus, quos Manutius exſcripſit. Eadem compoſitionis ratio, quæ in *dumtaxat*. Vnum inuenio, ſi recte transſcriptum, Grut. pag. 332. 4. SEPTENTRIONIS; ſed præualent contra hoc tria Manutiana cum M.

SEPVLCRVM. Cur adſpiratio ſit excludenda, dictum antea pag. 8. ſeq. Si auctoritate ſtandum, plures lapides SEPVLCRVM habent, quam *ſepulchrum*. Vide Gruter. pag. 333. 753. 789. 826. 7. Reineſ. pag. 291. & alia. Licet vero non deſint ſaxa quædam quibus *ſepulchrum* inciſum eſt: ipſa tamen ſupra data ratio valentior eſt, nec aptius *ſepulchrum* a *ſepultum* dicitur, quam *fulchrum* a *fultum* ſupino.

SEQVOR in præterito & participio ambigue, *ſecutus* & *ſequutus*, vt in *Loquor* prædictum. Mar. Victorinus pag. 2460. *locutus*, *ſecutus per c: quum quidam præcipiant ad originem debere referri, per q*

po-

potius, quam per c hæc ſcribenda. Lapides plurimi per C referunt. *Secutus* Manutius pag. 798. *Secutor* Gruter. pag. 334. 431. 561. *adſecutus* pag. 449. *ſubſecutus* pag. 832. 8. *conſecutus* Manutius pag. 278. & Reineſ. pag. 462. at *conſequutus* Gruter. pag. 321. 10.

SESE, *SE SE*. In Caiano cenotaphio coniunctè: at antiquiore lapide Gruter. pag. 506. S E. S E ſemel interpuncta; poſt iterum coniuncta viſuntur.

SESTIVS patriciæ familiæ: *Sextius* plebeiæ nomen. Sic Manut. ex Capitolinis lapidibus, & Fulu. Vrſinus Numm. pag. 262.

SIDVS, Latino I, non per Y. Eſt enim vox Latina; atque ſic etiam Virgilius Mediceus.

SILVA, ſine *y*, vt antea pag. 6. 7. notatum. Inde nomen *Siluanus*, frequens in inſcriptionibus, ſemper per I Latinum.

SIMILLIMVS, vide *Facillimus*.

SINCERVS ſine y, libri veteres, præcipue Virgilianus codex Mediceus. Supra pag. 6.

SIQVIDEM coniunctim, quia primam poetæ corripiunt: SI autem ſeparatum, longum eſt. Vid. Ouid. Metam. x. 104. & xi. 219.

SOBOLES, *Suboles*. Prius largitur Aldus conſuetudini, auribus indulgenti. At lapis Romanus & libri veteres *ſuboles*. Feſtus, *ſuboles ab oleſcendo, id eſt creſcendo*.

SOLEMNE, & *Sollemne*, & *Solenne*. Primum eſt in aliquot lapidibus, Reineſ. pag. 269. & cenotaphio Lucii Cæſ. SOLEMNIA: ſæpius autem L L geminatur. Gruter. pag. 39. 5. ex vetuſto fragmento, SOLLEMNI *cum precatione*: & pag. 121. f. SOLLEMNE. Virgilius ille vetuſtus ſemper *ſollemnis*. Feſtus: *Sollemnia ſacra dicuntur, quæ certis temporibus anniſque fieri ſolent*.

Et

Et paucis interiectis in SOLLO: *Sollo Oſce dicitur id, quod nos totum vocamus. --- Sollers etiam in omni re prudens: & Sollemne, quod in omnibus annis præſtari debet*. De *MN* Manutius: *In hoc plus antiquitati demus, quam analogiæ*.

SOLLERS etiam LL duplice, quia a *ſollo*, vti iam vidimus in *Sollemne*. Sic & Virgilii codices, Vaticanus & Florentinus: ſic lapides quoque exſcripti a Manutio.

SOLLICITVS, itidem LL duplicata in lapidibus. Manut. 727. *ſolliciti*: & pag. 497. & 736. *ſollicitare*: ſed hoc vtrumque in metro eſt. Feſtus autem a *ſolum*, id eſt locus; & *cito*, ex *cieo*: quaſi ſit loco mouere aut de ſententia: & ſic vno L ſcribetur.

SQVALEO, vno L, libri veteres, & lapis Romanus (Manut. in *fœdare*) SQVALORE FOEDATVM.

STILVS, *Stylus*. Plures per *y* ſcribunt, quia ſit a *ϛύλος*, *columna*: nec vero etymi ratio bene conuenit. Strabo quidem lib. XIV. pag. 446 ὃς ἦρξε τῦ Ασιανοῦ λεγομένου στύλȣ, *princeps ſtyli Aſiatici*: ſed dubium, a Græcis an Latinis dictionem acceperit. Sic *ſtipes* idem ſonat quod *ϛύπος*: nec tamen *ſtypes* ſcribimus, ſed *ſtipes*. Nec Varro lib. IV. extremo ad *στύπος* in etymo, vt vt eiuſdem notionis eſt, reſpexit, ſed a *ſtipando* duxit: hoc a *ϛείβω*. Quanto minus *ſtilus* erit a *ϛύλος*, vbi diſcrepat ſignificatio? Ideo aliis *ſtilus* vox pure Latina eſt, ſaltim Latinitate donata, atque ita Latino I ſcribenda. Vide ſupra pag. 6. 7. Gloſſæ quoque veteres, *γραφεῖον*, *ſtilus*, littera I Latina.

SVLLA, *Sylla* Lapides Capitolini, & alii, Gruter. pag. 294. & 398; & nummi gentis Corneliæ apud Vrſinum pag. 88. SVLLA: Græci

Σύλ-

Σύλλας, quos Aldus ſequitur. Adde ſupra pag. 7.

SVLPHVR, *Sulſur*. Voſſius Etymol. *ſulſur* mauult, quia ſit Latinum. Manutius *ſulphur*, quia in Carpenſi & Vaticano Virgilii codd. ſit *ſulpur*: vti etiam *triumpus* veteres ſcripſerunt.

SVMSI, *ſumpſi*; *ſumtum*, *ſumptum*. De his actum ſupra pag. 21. 22. Addo Marii Victorini iudicium, ex pag. 2466. *Sumſit, & inſumſit, demſit, ſine dubio per MS ſcribetis --- nec conſumptum, nec emptum, nec redemptum per PT ſcribetis: ſed, vt ego ſcripſi, iuxta MT ponetis*.

SVPELLEX, vno P, quamuis in libris quibuſdam geminetur. Manutius duas inſcriptiones adfert, CAESARIS A SVPELLECTILE. Poetæ etiam corripiunt, niſi epentheſi opus eſt. Horat. I. Satir. VI. 118.

-- -- cum patera guttus, Campana ſupellex.

SYNODVS, *Synhodus*. Manutius adſpirat, ad duos lapides, quibus SYNHODI legatur, prouocans. Malim *ſynodus*, ob rationes pag. 45. propoſitas. Obiicitur *methodus* ab Aldo: ſed in hac voce ſpiritus litteram *T*, non vocalem adficit, vt Græcum *θ* exprimatur: quamuis hoc etiam propter adſpiratam eſt.

TAEDA, *Teda*. Diphthongus a Græca origine eſt, δᾶας ſiue δαΐς, accus. δᾷδα, *fax*.

TAEDET, eadem diphthongo. Lapis Beneventanus, POPVLI TAEDIA SEDAVIT. Sic etiam libri veteres.

TAETER, *Teter*. Diphthongus eſt Medicei Virgilii; & in lapide Gruter. pag. 658. TAETRA ORA, id eſt ſqualida regione.

TENTA, Feſtus ſine H: & Aſconius in Cic. de Vrb. præt. pag. 108. a *tendendo* ſecundum aliquos dici tradit.

TENTO præfero alteri *Tempto*, quod libri multi

ti tenent. Eſt enim frequentatiuum a *Teneo*, ſupino *tentum*. Inſcriptio Tito Cæſari dicata INTENTATAM. Marius Victorinus pag. 2466. *nec temptat, attemptat ſcribetis vitioſe, ſed, vt ego ſcripſi, iuxta MT ponetis*. Alio tamen lapide apud Manutium TEMPTAVERIT: & ſic in multis ſcriptis libris.

THEODERICVS & *Theodoricus*: vtrumque in lapidibus apud Gruterum, illud pag. 1082. hoc pag. 152. Sed præſtat prius, quia non a *Theodorus* ex θεὸς & δῶρον eſt, ſed ex Teutonico *Teuterich* ſeu *Dieterich*.

TIBERIS fluuius per I, non Y. Multæ inſcriptiones exſtant, quibus *cura* RIPARVM TIBERIS memoratur. Vide Manutium & Gruter.

TINGO, *Tinguo*. Fl. Caper. pag. 2246. *Tingere dicendum eſt, non Tinguere*. Priſcianus vtrumque admittit lib. x. pag. 881. *Tinguo vel Tingo, tinxit*. Addit tamen V non facere ſyllabam. Analogia pro priore eſt, *lingo*, *ſingo*, *pingo*. Libri tamen manu ſcripti ſæpe *tinguo*, quos imitatur Manutius. Gloſſis *Tingo* & *Tinguo* eſt: vtrumque βάπτω vertitur.

TIRO, non *Tyro*, Pandectæ Florentini: & Gruter. pag. 358. 3. TIRONVM: Manut. *tyro* præfert, ſpuria inſcriptione deceptus. Vid. Voſſ. Etiam Gloſſæ I Latiari *Tiro* habent. Latinum enim eſt, ſine origine Græca.

TORVS ſine adſpiratione, libri veteres & Virgilii vetuſtiſſimus codex: etiam lapis apud Aldum, TORVM *ſeruauit caſta mariti*.

TOTIES, *totiens*: vide *Quoties*.

TRICESIMVS, non *Trigeſimus*. Vide *Viceſimus*.

TRIVMPHVS, olim *Triumpus*, vt Cicero in

in Oratore cap. XLVIII. notauit. Plerique autem *triumphus*, etiam ante Ciceronem. Inſcriptione Mario facta pag. 436. *triumphans*, & *triumphauit*, & *veſte triumphali* legitur. Et de Decio Samnitum victore, TRIVMPHANS. Poſtrema ætate, id eſt Conſtantinorum, ſcripſerunt *Triumfator*, vt in illorum monumentis eſt.

TROPAEVM ſine adſpiratione, quia Græcum eſt *τρόπαιον*. Vide ſupra pag. 8.

TVS, ſine adſpiratione libri veteres, Virgilii præſertim: & quamuis grammatici quidam a θύω deriuent, ac ea de cauſſa per *th* ſcribendum exiſtiment; tamen id minus certum eſt, & Cariſius lib. I. pag. 58. huic adſpirationi reclamat. *TVS*, inquit, *a tundendo, ſine adſpiratione, dicitur: quamuis Iulius Modeſtus ἀπὸ τοῦ θύειν tractum dicat*.

TVSCIA, *Tuſci*, libri & lapides ſine adſpiratione. Capitolinis lapidibus, DE TVSCEIS. Medio æuo *corrector* TVSCIAE in multis inſcriptionibus.

TVSCVLVM, *Tuſculanus*, etiam ſine H, libri ac lapides.

VALETVDO, *Valitudo*. Vtrumque in libris. Hoc analogia nititur, quod a *valitum* ſupino eſt: illud auctoritate Horatii, II. Serm. II. 88. & I. Epiſt. IV. 10. & veteri inſcriptione Gruter. pag. 926. 8. INOFFENSA VALETVD. Vrſinus gentis Aciliæ nummum profert, cuius & Manutius meminit, inſcriptus M' ACILIVS. III. VIR. VALETV.

VENEO, id eſt vendor, ſine diphthongo Pandectis Florentinis: & lapide Romano, *Hoc monumentum cum aedificio neque* VENIET *neque donabitur*: pro *venibit*. Et pag. 961. 4. Grut. *Hoc monumentum* VENIRE *non licebit*.

VERSVS, *verſum*, non *Vorſus*, *vorſum*: & ſic etiam

etiam *Aduerſus*. Archaiſmus enim eſt *vortere* pro *vertere:* qualia in Plauto multa ſunt. Quintilianus lib. I. cap. VII. *Quid dicam* vortices *&* vorſus, *ceteraque ad eumdem modum, quæ primo Scipio Africanus in* E *litteram ſecundam vertiſſe dicitur?*

VICESIMVS, *Vigeſimus*. Vulgo permutantur, habenturque pro eiſdem: at meliores libri ſemper *viceſimus:* ideoque Dauſquius alterum, *vigeſimus*, dixit *reiiculum* videri. cetera enim ab *viginti*, C habent, *vicies*, *viceni:* ergo etiam *viceſimus* per C ſcribatur. *Vicenſimus* antiquum & durum Manutio.

VINDICO, non *Vendico*. eſt enim cognatum nomini *Vindex*. Nec licet inter notiones diſcernere, quum *Vindico* vtramque ſuſtineat. Vide Priſcianum lib. XVIII. pag. 1208.

VIRGILIVS, *Vergilius*. Illud Pierius ad extremum Georgicorum; hoc Politianus Miſcell. cap. LXXVII. vterque grauibus argumentis defendit. Manutius facit cum Pierio, quia in monumento, Claudiano poetæ facto, ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ, legatur: & Calui verſus I, non E, reſpiciat:

Et vates, cui virga dedit memorabile nomen
Laurea.

VNGO, *Vnguo*. Veteres libri *Vnguo*. fauent deriuata *vnguen*, *vnguentum*. Priſcianus lib. X. pag. 881. VNGVO *Niſus*, *Papirianus & Probus tam* vngui *quam* vnxi *dicunt facere præteritum: --- Dicimus Vngo, vnxi, Lingo, linxi, & Pingo, pinxi.* Velius Longus pag. 2223. dicit Virgilium ſcripſiſſe, *Vngere tela manu:* & cur minus *vnguo* ſit dicendum, probat ex analogis *pingo*, *pinxi*, *fingo*, *finxi*. Adde Seruium in Aeneid. IX. 773.

VNQVAM, *Vmquam*. Plures ſcribunt *vnquam:* & ſic in veter. inſcr. apud Manutium pag. 497. (Gruter. 607. 4.) NON VNQVAM. Qui vero

vero *numquam* ſcribunt, quod ſupra Manut. defendit, eos ratio vrget etiam *vmquam* ſcribere. Priſcian. enim lib. XVII. pag. 1058. illud ex hoc compoſitum abnegatiuum dicit: quemadmodum *nullus*, ex *vllus*; *nuſquam*, ex *vſquam*. Libri curatius emendati habent *vmquam*; Virgilii, & aliorum.

VRGEO, *Vrgueo*. In pluribus manuſcr. eſt *vrgueo*, *vrguet*. Velius Longus pag. 2223. *Animaduertimus, quibuſdam partibus orationis* V *litteram vitioſe inſertam, vt in eo quod eſt Vrguere: itaque teſtis Virgilius, qui ait* (Aeneid. VI. 561.) *Vrgentur pœnis*. Noſtri autem libri curatiores habent *vrguentur pœnis*: quemadmodum etiam *Vnguere tela* Aen. IX. 773. vbi itidem Velius *Vngere* in ſuo, vt dictum modo, legerat. Sic Prudentii ſcripti codices Cath. X. 60. *ſopor vrguet*: & Periſteph. I. 43. *peſtis vrguebat fidem*. In Pandectis etiam lege III. de Negotiis geſtis §. 10. *neceſſitate vrguente*: & lege vlt. de Iudiciis, *re vrguente*. Parmenſis inſcriptio, VRGVENTE FATO.

VVLCANVS, *Volcanus*. Manutius amat poſterius, quia vtroque Virgilio, Carpenſi & Vaticano, ſit *Volcanus*; & Kalendario veteri VOLCANO D. D. Fugiebant olim vv geminam Latini, vt ſupra p. 11. 12. notatum fuit; quæ conſuetudo poſtea nonnullis hæſit antiquitatis cauſſa, vt tamen etiam in optimis libris *Vulcanus* legatur, & in Appendice Reineſii Inſcript. 39.

L. MATERNVS OPTATVS VVLCANO
AVG. SACRVM

Finis Orthographiæ Latinæ
Chriſtophori Cellarii.

Catalogo de' Libri Cominiani ancora vendibili, co' legittimi prezzi a ragion di contanti.

C. Lucilii Fragmenta cum notis Douſæ. 1735. 8. L. 2 : 10.
Plautus cum Fragmentis &c. 1725. 8. *in c. fina* L. 7. *in c. corſ.* L. 5
Lucretius cum Var. Lect. &c. 1721. 8. L. 4
C. Val Catullus Veronenſis; & in eum Jo. Antonii Vulpii Eloquentiæ Profeſſoris in Gymnaſio Patavino Novus Commentarius locupletiſſimus. 1737. in 4. ch. maj. L. 15. & max. L. 22
Corn. Nepos cum Var. Lect. 1733. 8. *in c. f.* L. 2. *in c. c.* L. 1 : 10
Salluſtius cum Fragm. Vett. Hiſtoricor. 1722. 8. L. 4
P. Virgilii Maronis Opera. Nic. Heinſius Dan. Fil. e membranis complutibus iiſque antiquiſſimis recenſuit. Quid præterea in hac Cominiana Editione præſtitum ſit, indicat Epiſtola ad Lectorem. 1738. in 8. *in c. fina* L. 5. *in c. corſ.* L. 4
Corn. Celſus, & Ser. Sammonicus cum notis Diverſorum, Morgagni Epiſtolis, & Facciolati Obſervationib. 1722. 8. L. 7
C. Valerius Flaccus. 1720. 8. L. 2
M. Fabii Quinctiliani de Inſtitutione Oratoria Libri XII. ſumma cura recogniti & emendati per Petrum Burmannum V. C. cum Henrici Dodwelli Annalibus Quintilianeis, & Indice locupletiſſimo. Acceſſit in hac I. Patavina editione Dialogus de claris Oratoribus, incerti Auctoris. ec. 1736. 8. 2. Vol. *in c. fina* L. 9 : 10. *in c. corſ.* L. 7 : 10.
Aurelii Macrobii Opera quæ exſtant, ad optimas editiones repræſentata, cum Indice locupletiſſimo. 1736. 8. *in c. fina* L. 7. *in c. corſ.* L. 6
Boethius de Conſolatione Philoſophiæ. 1721. 8. L. 2
Dante col Rimario; e colle note del Volpi. 3. *Vol.* 1727. *in* 8. L. 13
Il Petrarca con molte utili, e curioſe giunte. 1732. 8. L. 4
Novelle Ventotto di Meſſer Giovanni Boccacci ſcelte ora la prima volta dal ſuo Decamerone ad uſo principalmente de' modeſti giovani e ſtudioſi della Toſcana favella. Con la Deſcrizione della Peſtilenza ſtata in Firenze nel 1348. *dello ſteſſo Autore. Il tutto tratto con ſomma diligenza dagli ottimi teſti. in* 8. 1739. L. 2 : 10.
Del Sanazzaro Opere Volgari illuſtrate. 1723. 4. L. 10
Sannazarii Poematum Latinorum; item Altilii, & Faſcitelli Editio II. elegantior, & auctior. 1731. 4. L. 7
L' Epitalamio dell' Altilio colla traduzione in Ottava Rima del Carminati. 1730. 4. edizione ornatiſſima. L. 1 : 10
M. Hieronymi Vidæ, Poetæ elegantiſſimi, Opera a Vulpiis illuſtrata, 2. Vol. in 4. 1731. typis luculentis. L. 15

Del

Del Caſtiglione tutte le Opere Toſcane e Latine illuſtrate. 1733. 4. L. 9

Faerni Fabulæ, & alia perquam Latina Opuſcula. Editio II. nitidior, & auctior. 1730. 4. L. 2 : 10

Flaminii Carmina, & quædam Italicæ inſignes Epiſtolæ de ratione Studior. Mancurto illuſtrante. 1727. 8. ch. maj. L. 5

Del Poliziano le Stanze. *c. gr.* 1728. 8. L. 1

Del Rucellai la Roſmunda. 1728. 8. *c. gr.* L. 1

Del Caſa il Galateo, colla traduzione Latina ec. 1728. 8. in c. fina. L. 2. in carta corſiva L. 1 : 10

Del Coſtanzo le Rime. V. Ediz. delle paſſate molto più illuſtrata, e accreſciuta. Si ſono aggiunte le Rime elegantiſſime di Galeazzo di Tarſia, autore contemporaneo. 1738. *in* 8. L. 1: 15

Del Davanzati Sciſma d' Ingbilterra, e altre Opere Toſcane. 1727. 8. L. 2

Del Caro le Lettere. Ediz. II. accreſciuta del 3. *Vol. meſſo inſieme e illuſtrato dal Segbezzi colla copioſa Vita dell' Autore*, ec. 1735. 8. in c. fina L. 11. in c. corſ. L. 8

Di Bernardo Taſſo le Lettere accreſciute, ed illuſtrate colla Vita dell' Autore, e cogl' Indici dal Segbezzi. II. Vol. 8. 1733. in c. fina L. 10. in c. corſiva L. 8

La Penelope, Tragedia del Sig. Giuſeppe Salio, Padovano, già Segretario perpetuo dell' Accademia de' Ricovrati. 1724. 8. L. 1 : 10

La Temiſto dello ſteſſo. 1728. 8. L. 1 : 10

Il Salvio Otone dello ſteſſo. 1736. 8. L. 1 : 10

Eſame Critico intorno a varie ſentenze d' alcuni rinomati Scrittori di coſe Poetiche, e in particolare dell' Autore del Paragone della Poeſia Tragica d'Italia con quella di Francia, *ſtampato in Zurigo l' anno* 1732. *in* 8. 1738. L. 3 : 10

Jo. Antonii Vulpii Oratio habita in Gymnaſio Patavino cum ad Phyſicam publice tradendam aggrederetur, cujus hoc eſt argumentum: *In rerum Natura cognitione ad bene beateque vivendum momenta eſſe maxima*. 1727. 4. edit. elegantiſs. L. 1 : 10

-- -- -- Scholæ duæ: Altera, de Ariſtotele, ejuſque laudatoribus, & reprehenſoribus: Altera, Quæ præcipue eidem Philoſopho vitio vertantur. His adjectum eſt Syntagma de veteribus Philoſophis, *&c.* 1728. 4. L. 2

Orationes II. ſc. De Cæli Natura & Subſtantia. & Academicorum, & Scepticorum Philoſophiæ rationem non eſſe in Phyſica omnino repudiandam. in 4. 1732. L. 2

Jo. Antonii Vulpii Carminum Libri III. Ejus item Opuſcula ſoluta oratione ſcripta. Acceſſere Eruditorum quorumdam virorum, quibuſcum ipſi amicitia intercedit, Poemata

non

nonnulla. Nec non Joannis Antonii Vulpii antiquioris; Patricii & Epiſcopi Novocomenſis, ac Hieronymi ejus fratris, Carmina eleganciſſima quæ ſuperſunt. 1725. 4. L. 7

Opere Varie Latine e Toſcane del Signor Gio Antonio Volpi; ora Pub. Prof. di Umane Lettere nello Studio di Padova; fra le quali le ſue Rime, *e il Quarto Libro de' ſuoi Verſi Latini*. 1735. 4. L. 7

Jo. Antonii Vulpii Oratio habita in Gymnaſio Patavino, cum a tractanda Philoſophia ad Politiorem Humanitatem exponendam translatus eſſet. 1737. 4. L. 1

Raccolta di Diſcorſi Accademici di varj Autori intorno agli Studj delle Donne. 1729. 8. in c. fina L. 1: 10. in c. corſ. L. 1: 5

Veteris Latii Profani & Sacri Tomi VII. Auctoribus Petro Marcellino Corradino S. R. E. Cardinali. & Joſepho Rocco Vulpio Soc. Jesu, S. Congr. Indicis Conſ. & Epiſcopor. Examin. ab an. 1704. ad 1737. cum Figg. 4. *ch. maj.* Romæ & Patavii. L. 86

Chriſtoph. Cellarii Orthographia Latina ed II. Pat 1739. 8. L. --: 15

Thomæ a Kempis de Imitatione Christi Libri IV. ex accuratiſſima P. Heriberti Roſweydi Soc. Jesu recenſione. 1728. 8. *in carta fina* L. 2: 10. *in carta corſiva* L. 2

Il Combattimento Spirituale, e le altre Operette del P. Scupoli Teatino, ridotte alla vera lezione, ed illuſtrate. ediz. II. con qualche giunta. 1737. 8. *in c. fina* L. 3. *in c. corſ.* L. 2: 10

Trattato della Tribolazione, di Monſignore Cacciaguerra, molto commendato da S. Franceſco di Sales, con una Lettera dello ſteſſo Cacciaguerra in fine per le Monache, e altre notabili giunte. ec. 1724. 8. L. 2: 10

-- -- *della SS. Comunione, dello ſteſſo*. 1734. 8. in c. fina L. 2. in carta corſiva L. 1: 10

Vita D. Ignatii Lojolæ, auctore Joanne Petro Maffejo Soc. Jesu, nunc quarto libro aucta, plurimiſque de Maffejo teſtimoniis locupletata a Joſepho Rocco Vulpio. Soc ejuſdem. 1727. in 8. *in carta fina* L. 4. *in carta corſiva* L. 3

Il Paradiſo in Terra; cioè lo Stato Religioſo ec. *del P. Antonio Natale della Compagnia di* Gesu'. *in* 16. L. --: 10

Orazione di Monſignor Domenico Paſſionei, Arciveſcovo d' Efeſo, e Nunzio Apoſtolico a Vienna, e ora Cardinale della S. R. Chieſa, in Morte di Eugenio Franceſco Principe di Savoja. Ediz. 2. 1737. *in* 8. *di carta gr. con Fig.* L. 11: 15.

Sub prœlo.

Hieronymi Fracaſtorii, Adami Fumani & Nicolai Archii Comitis Poemata, auctiora & emendatiora. 2. Vol. in 4.

MAG 2012342

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google